COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XXI PARS III.

LIPSIAE MDCCLXXVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Venetiis apud I. B. Paſcali, Patauii apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Salvium.

I.

Hiſtoire de l' Academie royale des Sciences. Avec les Mémoires de Mathematique & de Phyſique, pour la même Année, tirés des Regiſtres de cette Academie. Année 1770. Paris de l' Inprimerie Royale a. 1773. 4 mai. 4 Alph. 6 pl. tab. aen. 29. Année 1771. Paris 1774. 4 Alph. 12½ pl. tab. aen. 16.

i. e.

Hiſtoria academiae regiae ſcientiarum anni 1770 et 1771. cum commentariis mathematicis et phyſicis ad eoſdem annos pertinentibus.

Ex *obſeruationibus phyſicis* hiſtoriae Academiae anni 1770 inſertis notamus, Cl. DU TOUR vegetabilem terrae Tripolitanae originem, a B. LVDWIGIO et GARIDEIL olim iam propoſitam, ſuis obſeruationibus confirmare. In prouincia enim Aruernienſi, prope locum *Ménat* dictum, eiusmodi terra effoditur, in qua ectypa foliorum arboris incognitae reperiuntur. In vniuerſum quoque ex lamellis ſchiſto ſtructura ſua ſimilibus compoſita eſſe deprehenditur. Cl. MERISSANT puluerem et liquo-

Anno 1770. Hiſt. p. 24.

liquorem detexit, quorum ope animalia eorumque partes in muſeis egregie conſeruantur, compoſitio
p. 25. tamen eorum hic non diuulgatur. Ill. ANTONIVS DE VLLOA, ſuis in America meridionali itineribus et laboribus geometricis ſuſceptis clarus, in montibus Peruuianis, vltra 13000 pedum altitudinem ſupra ſuperficiem maris eleuatis, concharum petrefactarum ſtratum ſatis magnum inuenit.

p. 49. In *obſeruationibus anatomicis* primo mentio fit machinae artificioſiſſimae a femina quadam, cui nomen *Biheron*, eleganter fabrefactae, quae peluim femineam, vterum grauidum et partes vicinas ita refert, vt in ea omnes illae operationes a tironibus artis obſtetriciae inſtitui poſſint, quae in ea arte occurrere ſolent. Ruſticus, qui quadrageſimo aetatis anno ſubito caluus factus erat, quinqua-
p. 50. geſimo crines iterum acquiſiuit. Femina ſexaginta ſex annorum diu iam de difficultate reſpirationis conquerebatur, quae ſemper augebatur, quoties moerore animi aegra affecta erat, vel gradus adſcendebat. Sola venaeſectio ſymptomatum violentiam mitigabat et aegra pluribus aliis remediis
p. 51. fruſtra adhibitis, tandem mortua eſt.

Sectione cadaueris facta, praeter varia leuiora abdominalium viſcerum vitia, pulmones pleurae accreti et ſanguine turgeſcentes: pericardium cruore repletum, ventriculi vero et auriculae maxime dilatatae et tum in dextro, tum etiam in ſiniſtro ventriculo pluribus in locis minora foramina deprehendebantur. Valuulae quoque et aorta plures oſſeas concretiones oſtendebant, ita vt neceſſario ſanguinis egreſſus valde difficilis eſſe debuiſſet *).

In

*) Monet quidem Cl. PORTAL, cui haec obſeruatio debetur, inter pauca rupturae cordis exempla, quorum

In alia femina, poſt partum difficilem, in quo vagina laeſa poſtea coaluerat, ſanguine menſtruo, retro hunc coalitum collecto, ea valde dilatata, vrethra ipſa clauſa, veſica autem vrinaria, in latere magis poſita, aliquo in loco perforata erant. In equo poſt luxationem oſſis femoris cauitateque materia oſſea repleta, nouum acetabulum ortum eſt. Simile quid in hominibus aliquoties obſeruatum eſſe, notum eſt. p. 52. p. 53.

In puero poſt variolas radius et vlna in vtroque brachio carie affic ebantur et magna pars horum oſſium ea deſtruebatur. Vlcere tamen clauſo aegroque adulto, brachii quidem oſſa breuiora erant, muſculi vero iuſtam magnitudinem adquiſiuerunt, quae res motum manus vehementer laedebat. Interim tamen quoties muſculis, manu adſtantis prehenſis, eorum longitudo minuebatur, aeger manum mouere potuit, in qua tactus quoque ſupererat. p. 54.

In *obſeruationibus chymicis* narratur primo Cl. CADET terram et aquam, collectam in ſpelunca illa Italica, ob vaporem mephiticum e terra adſcendentem celeberrima, quam *grotta del cane* dicunt, chemice examinaſſe et tum in terra, tum in aqua nullum venenum reperiiſſe. Cl. DE MACHY obſeruauit, alcali volatile in deſtillatione ſanguinis bouini obtentum, ad ſalis medii naturam accedere et itaque acidum quoque ſanguini ineſſe et ſub deſtillatione adſcendere. p. 67.

Inter *elogia* membrorum Academiae huic anno inſerta, primum eſt Cl. Abbatis IOANNIS ANTONII

rum ab Auctoribus mentio facta eſt, nullum rupturae finiſtri ventriculi occurrere. Plures tamen eiuſmodi obſeruationes ex HARVAEO, BOHNIO, MICHELOTTO, MORGAGNI cet. collectas, vide in Cl. DIETERICI MVMSSEN diſſ. *de corde rupto* Lipſ. 1764. edita p. 32 ſequ. vid. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 493.

TONII NOLLET, Phyſici illius celeberrimi a 1700. d. 19 Nouembr. prope vrbem Noyon nati. Patre vſus eſt ruſtico, ſtudiorum cauſſa Pariſiis ſe contulit, ibique in Phyſica tantos progreſſus fecit, vt anno 1726. iam celeberrimis phyſicis, in hac vrbe viuentibus notus, et valde carus eſſet. A. 1734. iter in Angliam et poſt duos annos in Belgium ſuſcepit. Membrum Regiae academiae a. 1739. factus eſt, et ex eo tempore non ſolum phyſicam experimentalem ſummo cum applauſu docuit, ſed et pluribus ſcriptis, quorum haud pauca commentariis Academiae inſerta ſunt, apud omnes maximam gloriam acquiſiuit. Inprimis doctrinam de vi electrica eius ſtudio multum illuſtratam eſſe notum eſt. Mortuus eſt Lutetiis Pariſiorum d. 24 April. 1770.

p. 137. Cl. GVILIELMVS FRANCISCVS ROVELLE, chymicis ſuis laboribus clarus, quem Academia eodem anno amiſit, pharmaceuticam artem Lutetiis Pariſiorum primum exercuit, deinde vero chymiam publice per plures annos docuit. Natus erat prope vrbem *Caën* in Normandia anno 1703. d. 3 Nouembr. Membrum Academiae factus eſt a. 1744. obiit d. 3 Auguſti 1770.

p. 149. Vltimum elogiorum huius anni eſt illud, quo merita Ill. Comitis DE MORTON Praeſidis Academiae Londinenſis et fundatoris Societatis Edinburgenſis, Edinburgi a. 1707. nati, celebrantur.

Comm. p. 1. 1. Inter Commentarios huius anni primus is eſt, quo Cl. FOUGEROUX DE BONDAROY *de Solfataris ſeu aquis ſulphuratis in vicinia vrbis Romae reperiundis* exponit. Prope viam, quae ad vrbem *Tibur* (*Tiuoli*) dictam ducit, riuulus eſt, cuius aqua

aqua in vitro aſſeruata diu colorem ſuum coeruleſcentem odoremque ſulphureum retinet. Hinc, vt Cl. Auctor recte concludit, hepar ſulphuris in ea perfecte ſolutum eſſe debet. Sedimentum deponit, quod ex paſta ſulphurea conſtat, nec non aliud terreae magis ſeu ſeleniticae indolis, ex quo forte lapis ille Tiburtinus, ex quo Romae aedificia plura exſtructa ſunt, formatus eſt. Plantae et alia corpora peregrina, ab hac aqua in ſuo decurſu tacta, tophacea hac maſſa obducuntur, quae cryſtallos minores in iis format. In ripa quoque huius riuuli lapilli illi tophacei reperiuntur, qui vulgo ſub nomine *tragematum Tiburtinorum* (*Confetto di Tiuoli*) in muſeis curioſorum occurrunt. Locum deinde Cl. Auctor deſcribit, ex quo riuulus hic oritur. Si lapis vel aliud corpus in illum iniicitur, plures bullae aëreae per ſatis longum tempus ex fundo ad ſuperficiem aquae adſcendunt. De inſulis natantibus in hoc lacu reperiundis eadem fere, quae alii itinerariorum Auctores, Noſter habet. Calor huius aquae calorem atmoſphaerae non multum ſuperat. Adduntur experimenta quaedam chemica, a Cl. CADET cum hac aqua Pariſiis inſtituta, quae probant hepar ſulphuris terreſtre in ea contineri. Aqua hac in phiola diu aſſeruata, inflammabilis ſulphuris pars auolat, acidum vero vitriolicum cum baſi alcalina terrea ſe coniungit et ſal neutrum ſeleniticumque concrementum producit.

2. Cl. DE LA LANDE *Obſeruationes de parallaxi ſolis ex obſeruationibus tranſitus Veneris per diſcum Solis* a. 1769. *inſtitutis.* p. 9.

3. Cl. LE SAGE *examen chemicum lapidis calaminaris in comitatu Sommerſettenſi et Nottinghamenſi* p. 15.

Angliae effoſſis. Haec nonnunquam cryſtalliſata eſt, ideoque vt Auctor Cl. putat pro *zinco cryſtallino* Cel. LINNAEI haberi debet. Si deſtillatio eius ope acidi vitriolici affuſi inſtituitur, acidum marinum tranſit, quo zincum in dicto lapide mineraliſatum eſt. Si vncia huius zinci cum vncia vna ſalis ammoniaci deſtillatur primo, alcali volatile et deinde liquor aliquis adſcendit, qui frigefactus in maſſam ſolidam, griſei coloris et ſemipellucidam tranſit, quae cum butyro antimonii fere conuenit, atque, vt illud, aëri libero expoſita deliqueſcit. Si aqua vero affunditur, nulla praecipitatio oritur, vti hoc, ſi butyrum antimonii cum aqua commiſcetur, fieri ſolet. Butyrum hoc verum ſalem ammoniacum continet et ideo minus cauſticum eſt.

p. 24. 4. Cl. CASSINI *Obſeruatio et theoria cometae* a. 1769, *obſeruati.*

p. 35. et 45. 5. Cl. FOVGEROVX *Commentarius I. et II. de petroleo Parmeſano.* Puteos Cl. Auctor deſcribit, ex quibus illud hauritur. Album et rubrum ex diuerſis tamen fontibus oritur, interim tamen deſtillatione petrolei rubri cum aqua facta, illud etiam album fit. In pluribus horum puteorum petroleum purum, nec cum aqua commiſtum, colligitur. Veſtigia quoque montium igniuomorum, in hac regione reperiundorum, deſcribit Noſter et varios locos indicat, vbi inflammabilis vapor aſſurgit, aut verus ignis ſemper ardet, qui vapore petrolei ſubtili adſcendente alitur. Similem vaporem inflammabilem Cl. Auctor obtinuit, cum terram et petroleum miſceret, et vas, in quo haec mixtura erat, igni imponeret. In vniuerſum petroleum e vegetabilibus oriri, ex plantarum reliquiis in locis, ex quibus vapor inflammabilis aſſurgit, reperiundis Noſter concludit.

6. Cl.

6. Cl. LE ROY *de conductoribus metallicis, quibus fulmen ab aedificiis arcetur.* p. 53.

7. Cl. IARS *de ratione, qua in Anglia Minium praeparatur.* Ignis lithanthracum ope alitur, ligni enim flamma nullum minium obtinetur. *Ceruſſa citrina* ſeu *Maſſicot* ex plumbi cineribus per viginti quatuor horas calcinatis oritur; deinde vero in mola comminuitur, lauatur et ſubtiliſſimus puluis iterum per triginta ſex ad quadraginta octo horas calcinatur. Poſt calcinationem minium primo colorem profunde rubrum oſtendit, qui poſt breue tamen tempus in coccineum mutatur. p. 68.

8. Cl. LAVOISIER *Commentarius I. de natura aquae et experimentis variis, quorum ope illius in terram mutationem probare nonnulli voluerunt.* Duplici via hac in re Auctores proceſſerunt, et poſſibilitatem mutationis aquae in terram, partim ex vegetatione plantarum in ſola aqua, partim ope deſtillationis variarumque aliarum operationum chemicarum probare voluerunt. HELMONTIVS primus eſt, qui cum vegetatione aquarum in aqua pura experimenta inſtituit. Hunc plures alii ſecuti ſunt, ex quibus BOYLEVM, ELLERVM et BONNETVM nominaſſe ſufficiat, qui omnes plantas in terra aqua pura humectata laete creſcere viderunt, ſine eo, quod terrae aliquid de pondere ſuo decederet. Interim vt Cl. Auctor probat, aquam vere in terram plantarum mutari ex his experimentis non ſequitur, cum vel non debitis cum cautionibus inſtituta ſint, vel pondus terrae ex planta combuſta collectae, parum tantum auctum ſit, atque magno tandem nutrimenti vegetabilium copia ex aëre attrahatur. Iam quod experimenta chemica attinet, quibus aquae in terram p. 73.

nem probare tentarunt, BORRICHIVS et ROYLEVS primum aſſeruerunt, aquam deſtillatione in terram mutari poſſe, quos MARGGRAFFIVS et ELLERVS inprimis ſecuti ſunt *). Putauit quidem, vt Noſter refert, Cl. LE ROY, terram, quae, repetita deſtillatione aquae, ſemper in fundo remanet, iam aquae et quidem tam arcte inhaeſiſſe vt non niſi pluribus deſtillationibus ab aqua ſeparari potuiſſet. Sed cum quantitas terrae, quae ab aqua in deſtillatione ſecedit, ſemper eadem maneat, nec vnquam terminus inuentus ſit, quo haec ſeparatio non amplius accidat, haec ſententia veritati minus conſentanea eſſe videtur. Hinc Cl. Auctor concludit, originem terrae, quae, ſi aqua ſaepius deſtillatur, remanet, obſcuram adhuc eſſe.

p. 83. 9. *Obſeruationes tranſitus Veneris per diſcum Solis* a. 1769, a Cl. CHAPPE *in California inſtitutae, quibus aliae obſeruationes ibidem ab* EODEM *factae additae ſunt.* Omnes has obſeruationes Cl. CASSINI DE THVRY in epitomen redegit.

p. 90. 10. *Secundus Commentarius* Cl. LAVOISIER *de natura aquae et experimentis, quibus nonnulli Auctores aquae mutationem in terram probare tentarunt.* Aquam pluuialem puriſſimam Cl. Auctor per octo vices deſtillauit ſemperque terrae portionem obtinuit. Tunc Cl. Auctor hanc aquam vaſi vitreo ex eo genere, quod Pelicanum vocant, includit et per 101 dies perpetuo in calore ſexaginta vel ſeptuaginta graduum thermometri Reaumuriani (cuius gradus 85 calorem aquae ebullientis aequat) ſeruauit. Duobus circiter menſibus elapſis aqua haec ſenſim turbida facta eſt, tandemque

*) vid. Mém. de l' Acad. de Berlin 1746 et 1756. conf. comm. noſtr. Vol. VII. p. 701.

que ſedimentum terreum, quod pondus quatuor drachmarum et nouem granorum habebat, depoſuit. Ipſam aquam deinde Noſter euaporauit et iterum 15 drachmas et quinque grana terrae obtinuit. Vas autem vitreum, in quo aqua fuerat, 17 drachmas et 3 — 4 grana de pondere ſuo amiſerat, vt itaque terra haec non ex aquae in terram mutatione, ſed ex ſolutione vitri in aqua orta ſit. Parua enim portio terrae, quae maior eſt, quam id, quod alembicus de pondere ſuo amiſerat, ex ſolutione vitri vaſorum, in quibus poſt deſtillationem per aliquod tempus ſtetit, aut ex aquae cum terra in euaporatione combinatione oriri videtur. Terra ipſa ex hac aqua, diu calori expoſita, collecta, cum acidis leniter quidem efferueſcit, ſed immutata in fundum vaſis deſcendit, nec in igne fortiſſimo liqueſcit.

11. Ill. DE CONDORRET *Commentarius de aequationibus differentiarum finitarum.* p. 108.

12. Cl. MORAND *de conformatione monſtroſa digitorum humanorum.* p. 137. Notum eſt ſaepe numerum digitorum manus pedisque ex monſtroſa conformatione ita augeri, vt ſex vel plures eorum numerentur. Cl. hic Auctor fuſe de variis ſpeciebus horum digitorum ſuperfluorum, quae ſaepe in vna eademque familia per haereditatem quaſi propagantur, exponit, pluresque de iis obſeruationes anatomicas addit. Inprimis pedem deſcribit in quo octo digiti numerabantur. Ex his concludit cum WINSLOVIO et HALLERO, monſtroſam hanc fabricam iam a prima oui conformatione pendere. Amputatio digitorum horum, quae a chirurgis nonnunquam deſideratur, facillima eſt, atque pro varia conformatione digiti amputandi, vel in articulo vel extra articulum fieri debet.

13. Ill.

p. 151. 13. Ill. CONDORCET, *de aequationibus differentiarum partialium.*

p. 179. 14. Cl. LE MONNIER, *de longitudine Insulae St. Dominicae.*

p. 183. 15. Cl. PORTAL *Obſeruationes anatomicae de fabrica partium, generationi in mulieribus inſeruientium.* Varias obſeruationes hic commentarius continet, quae vteri fabricam ſitum cet. concernunt. Pollicetur tamen Cl. Auctor ſe ſequentibus commentariis etiam plures circa externa genitalia obſeruationes traditurum eſſe. Situs vteri in diuerſa aetate variat, in fetu trium vel quatuor menſium ſupra peluim ſitus eſt, ita vt linea ab oſſe pubis ad os ſacrum ducta, collum tantum vteri paullo tangat. In puellis contra recens natis paullo profundius in peluim deſcendit, ſemper tamen ſupra marginem eius ex parte eminet. A decimo quinto ad trigeſimum quintum aetatis annum ſub oſſibus pubis ſitus eſt, ac in vetulis longe profundius in peluim ſe immergit. Item de axi vteri valet, quae in fetu fere perpendicularis eſt, in vetulis contra horizontalem fere ſitum obtinet. Omnis tamen haec ſitus huius viſceris varietas, a peluis conformatione et amplitudine ſenſim per aetatem aucta pendet. Nec minorem differentiam vteri figura in diuerſis aetatibus oſtendit. Ea enim in fetu et puellis priſmatica, in adultis contra triangularis et in vetulis iis etiam, quae non pepererunt, inaequaliter rotundata deprehenditur.

Color etiam vteri in diuerſa aetate variat, quod HARVAEVS primus et, vt Auctor Cl. aſſerit, ſolus obſeruauit. Albus is enim in fetu, ac ruber in puella nubili eſt, in vetulis vero iterum palleſcit.

p. 185. Ligamenta deinde vteri Auctor Cl. deſcribit. In graui-

grauiditate duplicata peritonaei lamina ligamentorum latorum prope vaginam paullulum a ſe inuicem recedit et plicae nonnullae a peritonaeo formatae euaneſcunt, vt itaque ligamenta haec etiam expanſioni et euolutioni (*développement*) vteri in grauidis inſeruiant. Ligamenta vteri lata peluis cauitatem in duas minores, cauitatem anteriorem ſcilicet et poſteriorem, diuidere notum eſt. Ex his cauitatibus in adultis anterior minor eſt, quam poſterior. Contrarium vero in puellis euenit. Pendet autem haec diuerſitas, a diuerſa amplitudine et capacitate peluis et maiore vel minore oſſis ſacri in peluim prominentia, quae in adultis et minoribus diuerſa deprehenditur. A lamina peritonaei, quae vterum exterius inueſtit, plures productiones celluloſae ſatis fortes inter ipſas vteri fibras muſculoſas ſe demergunt et vaſorum vterinorum ramos maiores eodem fere modo inueſtiunt, vti id in ramis venae portarum, qui ſubſtantiam hepatis intrant, a capſula ſic dicta GLISSONII fieri ſolet. Nonnunquam haec tela celluloſa, quae vaſa vteri maiora comitatur, pinguedinem vel aquam etiam continet. Ligamentorum vteri poſteriorum inuentionem, quam Cl. PETIT *) ſibi tribuit, Cl. Auctor ad HENRICVM AB HERMONDAVILLE, medicum et anatomicum ſeculi decimi tertii refert, qui in Gallia anatomen docebat et cuius chirurgia manuſcripta in Bibliotheca regia Pariſina latet **). Octo enim hic ligamenta vteri enumerat. GABRIEL vero DE ZERBIS, qui ſub finem ſeculi decimi quinti vixit, plenius adhuc

*) vid. Hiſt et Mém. de l'Acad. Roy. de Paris 1760 pag. 288. Comm. noſtr. Vol. XIV. pag. 597.

**) vid. quoque Ill. HALLERI Biblioth. anat. T. I. pag. 143.

huc de iis ſcripſit. Porro a Cll. Viris LE VASSEVR et PICCOLHOMINI, inprimis vero a SANTORINO et GÜNZIO accuratiſſime deſcripta fuerunt, ita vt earum intuentio non noua ſit. His expoſitis Cl. Auctor de figura internae cavitatis vteri, quae etiam in diuerſa aetate admodum variat, nec non de lineis eminentibus in ſuperficie interna vteri exponit, quae, vti notum eſt, figuram quaſi arboris referunt. Veſiculae ſeu excreſcentiae in ſuperficie interna vteri exſurgentes (*ovula* forte NABOTHI), in vetulis frequentiſſime obſeruantur. Interna vteri ſuperficies valde irritabilis et magis quidem quam externa eſt, quod etiam de corde per experimenta SENACI et HALLERI valet.

p. 191. 16. Ill. DE CONDORCET *de aequationibus differentialibus.*

p. 231. 17. *Obſeruatio contactus interni diſci Veneris cum diſco ſolis*, a Cl. BOCHART DE SACON *facta.*

p. 233. 18. Cl. LE MONNIER *Supplementum obſeruationum Vere* 1735, *inſtitutarum.*

p. 236. 19. *Variae obſeruationes anatomicae*, Auctore Cl. PORTAL. Prima harum obſeruationum Cl. Auctor de ea iſchuria exponit, quae in ſenibus haud raro ex callofitate et induratione veſicae (*racorniſſement*) oritur et cuius apud alios Auctores fere nullam mentionem fieri Cl. Auctor putat. Scilicet in pluribus ſenibus dyſuria et iſchuria antea afflictis, veſicam vrinariam, inprimis vero eam partem illius, quae collum vocatur, in omni ſuo ambitu ita calloſam et anguſtatam vidit, vt neceſſario hac re exitus vrinae plane praecluderetur. Aſſerit Cl.

Cl. PORTAL huius craſſitiei veſicae praeternaturaliter auctae inter cauſſas iſchuriae a nullo Auctore mentionem fieri *).

Altera Auctoris Cl. obſeruatio *ſpinam* ſic dictam *bifidam* ſpectat. Probat autem ſedem aquae in hoc morbo in canali eſſe, qui per omnem medullam ſpinalem deſcendit, et de quo recentiores anatomici ſilent, licet COLVMBVS et CAROLVS STEPHANVS iam eum deſcripſerint. Canalis hic, vti Cl. Auctor putat, alterno motui medullae ſpinalis ſauet, quae vti encephalon alternis vicibus ſurgit et iterum ſubſidet. Tertia obſeruatio de hydrope particulari ventriculorum cerebri exponit. Vidit Cl. Auctor aquam limpidam in vno et ſanguinolentam in altero ventriculo, quae non inter ſe miſcebantur, vt itaque in naturali ſtatu omnino nulla communicatio inter vtrumque ventriculum anteriorem locum habeat. Gibberis deinde ſingularem ſpeciem Cl. Auctor deſcribit, in quo coſtae ſpuriae in ſiniſtro latere introrſum preſſae erant. Aegra diu de dolore pedis ſiniſtri poſt cibum adſumtum conqueſta erat, quod Cl. PORTAL preſſioni neruorum a colo flatibus diſtento adſcribit. Addit quoque varia de noxis thoracum. Circa inaequalem ventriculorum cordis amplitudinem, de qua tantae inter diſſectores lites ortae ſunt, Cl. Auctor monet, eam in diuerſa aetate differre. In fetu enim ſiniſter ventriculus dextro amplior, in pueris vero magnitudo vtriusque ventriculi aequalis eſt, cum in adultis dexter ventriculus ſiniſteriorem

p. 238.

p. 240.

p. 242.

p. 244.

rem

*) Interim nuper etiam de hac re Cl. GILCHRIST, in *Edinb. Phyſ. and. Med. Eſſ.* Tom. III. n. 21. eleganter expoſuit, et medendi etiam methodum indicauit.

rem magnitudine ſuperet. Diuerſitatis huius cauſa in ea differentia poſita eſt, quae ratione circulationis et copiae ſanguinis ad ventriculum vtrumque accedentis, inter fetum et adultum locum habet.

p. 246. Addit tandem Cl. PORTAL quaſdam obſeruationes myologicas. In his primo de muſculis ligamentorum capſularium ſeu iis fibris muſculoſis exponit, quae ligamentis capſularibus adnectuntur, et ſub motu membri capſulam ita eleuant, vt non inter vtrumque os ea comprimi poſſit. Deſcribit vero inprimis mechaniſmum harum fibrarum in articulo humeri, cubiti, femoris cet. In nonnullis aliis articulationibus non peculiares muſculi, ſed fibrae nonnullae aliorum muſculorum capſulae articulari implantatae, huic fini inſeruiunt. Ex muſculis ſerratis poſterioribus faſcia aponeurotica oritur, quae muſculos longos dorſales coercet et luxationem eorum impedit. Cl. Auctor in homine ex caſu ab alto tumorem ſatis durum in dorſo ad octauam, nonam et decimam coſtam cum ſummo dolore aegri oriri, illoque tandem inter vehementiſſimas conuulſiones demortuo, in ſectione cadaueris faſciam hanc diſruptam vidit. Per ruptu-ram vero pars muſculi longiſſimi dorſi egrediebatur et ab fibris faſciae ſtringebatur. In ſimili caſu inciſionem tumoris et dilatata ruptura reductionem fibrarum fieri debere, Cl. Auctor monet. Vltima obſeruationum myologicarum, de origine muſculorum rectorum oculi Cl. PORTAL diſputat. Rectus internus, inferior et externus, in origine ad nerui optici foramen in vnum tantum tendinem tenuem et breuem vniuntur, qui margini inferiori et poſteriori foraminis optici adhaeret. Rectus contra ſuperior et eleuator palpebrae ſuperioris in alium communem tendinem coëunt, qui margini ſuperio-

ſuperiori et anteriori foraminis optici inſeritur. Ex hac deſcriptione confirmatur, quod iam alii annotarunt, originem horum muſculorum non, vti VALSALVAE fuit opinio, annulum circa neruum opticum formare.

20. Cl. FOVGEROVX *de natura ſtratorum montis prope vrbem* St. Germain en Laye. Strata huius montis deſcribit, qualia ea, cum foſſa ſatis profunda excauaretur, reperta ſunt. Fruſtulum ligni bituminoſi ſatis profunde vna cum pyritibus effoſſum eſt, gagati ſimile, quod gagatem vegetabilis eſſe originis confirmat. p. 252.

21. *Elementa orbitae cometae* a 1770. *Auctore* Cl. PINGRE. p. 255.

22. Cl. DV SEIOVR *noua methodus calculandi eclipſes ſolis* cet. Commentarius IX. p. 257.

23. Cl. PORTAL *obſeruationes circa ſtructuram ductus thoracici et ciſternae lumbaris.* Ciſternam ſic dictam lumbarem, ſeu receptaculum chyli APECQVETO propoſitum, in homine adeſſe negat, cum vaſa lactea non in vno eodemque loco, ſed diuerſis et lineas aliquot diſtantibus ductum thoracicum ingrediantur. Ibi vero, vbi in eum inferuntur, inter ſe tela celluloſa ita coniunguntur, vt diuerſas eleuationes ac depreſſiones forment, atque tota fabrica formam veſicularum ſeminalium aëre turgidarum aliquo modo referat. Fuſius Cl. Auctor hanc vaginam celluloſam, confluxum vaſorum lacteorum inueſtientem, deſcribit monetque hanc fabricam effeciſſe, vt nonnulli hoc loco receptaculum aliquod peculiare in homine adeſſe putauerint, in primis cum ſaepe vnum vel alterum p. 393.

horum vaſorum varicoſum ſit. In cane vero, in quo PECQVETVS ſuas obſeruationes inſtituit, omnino tale adeſt, ac in ſciuro et ſimia, ſecundum Cl. FERREIN plura eiusmodi receptacula reperiuntur. Nonnulli piſces ad *amphibiorum* claſſem LINN. pertinentes, vt *Lophius* vel *Rana piſcatrix*, duos ductus thoracicos, *Delphinus* vero ſeptem habet. Plures alias leuioris momenti obſeruationes omittimus. In cadauere, cuius glandulae meſaraicae obſtructae erant, vaſa quoque lactea, ibi, vbi in ductum thoracicum inſeruntur, materia gypſea repleta erant. In cane ductus thoracicus fere ſemper duplex eſt. Addit Cl. Auctor vaſorum lymphaticorum pectoris ſatis amplam deſcriptionem. Valuulae ductus thoracici aëris impulſui non perfecte reſiſtunt. Monet Cl. Auctor eas etiam ductum hunc firmiorem reddere et expanſioni eius reſiſtere. Plures quoque varietates in numero harum valuularum obſeruauit.

p. 403. 24. Cl. DE LA LANDE *commentarius de diametro Solis, in calculo tranſitus Veneris per diſcum Solis adhibendo.*

p. 406. 25. IDEM *de prolongatione obſcura diſci Veneris in eius per diſcum Solis tranſitu obſeruato.*

p. 413. 26. Cl. PORTAL *obſeruationes anatomicae in* Phoca vitulina LINN. *inſtitutae.* Deſcriptionem partium huius animalis, quam olim Cl. PERRAVLT dedit, emendat et variis annotationibus auget. Ventriculus dexter minor et craſſior eſt ſiniſtro, atque orificium arteriae pulmonalis quinque valuulis inſtruitur. Retro has valuulas ſinus quinque, Valſaluianis in homine exiſtentibus ſimiles, et in ipſis valuulis Arantiana tubercula deprehen-

prehenduntur. Valuulae vero inter auriculam dextram et ventriculum dextrum, non in lacinias diviſae ſunt, ſed annulum formant. Auricula ſiniſtra in phoca duas tantum valuulas et aorta tres habet. Orificia arteriarum coronariarum ſupra has valuulas poſita deprehenduntur. Aorta poſt egreſſum in ampliſſimum ſinum dilatatur. Foramen ouale in hoc animali apertum et valuula munitum, canalis vero arterioſus, quod mirum, coalitus erat. Venae pulmonales amplitudine et numero arterias huius viſceris ſuperant. Annuli aſperae arteriae cartilaginei perfectos circulos formant. Reliqua minoris momenti ſunt.

27. *Obſeruationes tranſitus Veneris per diſcum Solis* in California a Cl. CHAPPE *inſtitutae.* p. 416.

28. *Obſeruationes metallurgicae circa ſeparationem metallorum.* Commentarius I. Auctore Cl. IARS. Modum primum deſcribit Cl. Auctor, quo ex cupro, quod paruam argenti portionem continet, addito plumbo argenti portio per praecipitationem educi poteſt. Vtitur hac in re obſeruationibus Celeberrimi Chemici et Metallurgi CRAMERI, qui tunc temporis Blankenburgi adhuc viuebat. Plumbo cum cupro fuſo et maſſa refrigeſcente, cuprum primo coit et plumbo innatat, plumbum vero liquidum et argentum cum eo ob affinitatem chemicam remixtum manet. Repetitis poſtea fuſionibus, in qua ferri pyrites et ferrum deinde ipſum cum lithargyrio additur, vlterior ſeparatio argenti obtinetur. p. 423.

29. Cl. VAVCANSON *commentarius ſecundus de modo fila ſericea ducendi.* p. 437.

p. 457. 30. *Variationes acus magneticae Pariſiis obſeruatae* a Cl. MONNIER.

p. 467. 31. *Determinationes refractionis et diſperſionis radiorum in vitro Venetico* (Crown glaſs) *et cryſtallino albo Anglico* (Flint glaſs), Auctore Cl. JEAURAT.

p. 887. 32. *Deſcriptio itineris* a Cl. PINGRE' *in Americam ſuſcepti.* Obſeruationes tantum aſtronomicas, geographicas et nauticas continet.

p. 514. 33. *Obſeruationum metallurgicarum circa ſeparationem metallorum*, Auctore Cl. IARS, *Pars altera* Mineras, quae cuprum et argentum ſimul continent, non cum plumbo ſed cum plumbi mineris et carbonum puluere fundit. Si nullae plumbi minerae adſint, in prima fuſione pyrites, in altera vero lithargyrium, tandemque ad reductionem plumbi calx et carbones addi debent. Sicca, vti aiunt, via aurum ab argento et cupro additis pyritibus Noſter ſeparat.

p 526. 34. Cl. LE ROY *adnotationes de aërometris.*

p. 540. 35. Cl. IARS *obſeruationes circa fodinas in vniuerſum et in ſpecie de fodinis, quae in prouincia Angliae* Cornubia *reperiuntur.* Stanni et cupri fodinas huius inſulae accurate deſcribit. Stannum natiuum, quod ante aliquot annos ibidem in locis, vbi plura fragmenta mineratum accumulata ſunt (*Seiffen*), repertum eſt *), vti nos ipſi iam ſuſpicati ſumus, ab officinis fuſoriis olim ibidem exſtructis relictum fuit. Putat Noſter haec fruſtu-

*) vid. *Tranſact. Phil.* Vol. LVI. p. 35 et 305. et Comm. Vol. XV. p. 498 et 512.

fruſtula, in quibus ſtannum ſic dictum natiuum, quarzo inhaeret, formata fuiſſe, dum ſtannum liquefactum quarzum, quod ad fornaces adhibitum erat, penetrauerit, aut ſe in interſtitia cryſtallorum inſinuauerit.

36. *Examen criticum obſeruationum aſtronomicarum tranſitus Veneris per diſcum* Solis 1769 *facti*, auctore Cl. PINGRE'. p. 558.

37. Cl. DU HAMEL *obſeruationes botanico-meteorologicae ad annum* 1769. p. 584.

38. *Deſcriptio turris ſeu obſeruatorii aſtronomici portatilis*, auctore Cl. DE BORY. p. 612

39. *Additamenta ad commentarios* Ill. DE CONDORCET p. 108. 157 et 159. *Voluminis huius inſerta.* p. 615.

40. *Obſeruatio eclipſis partialis Lunae* d. 29. Apr. 1771. Monſpelii, a Cl. DE RATTE et POITEVIN *facta.* p. 619.

41. Cl. POITEVIN *commentarius de efferueſcentia et calore vini in fermentatione ſpirituoſa.* Probant hae obſeruationes, Monſpelii a. 1772. inſtitutae, calorem vini ſub fermentatione ita diminui, vt v. c. qui in initio ad gradum thermometri viceſimum ſextum adſcenderat, ſub fine viginti duorum tantum graduum ſit. Variat vero haec caloris diminutio in diuerſis vaſis, ſaepeque differentia adhuc longe maior deprehenditur. p. 620.

Progredimur iam ad alterum volumen horum commentariorum a nobis iam indicandum, quod eas continet obſeruationes et commentarios, qui Anno 1771.

ad annum ſeptuageſimum primum huius ſeculi ſpectant. Ex iis, quae hac parte continentur, poſſumus ſequentes commentarios commemorare, qui potiſſimum *obſeruationes anatomicas* ſpectant.

Hiſt. p. 38. Cl. GVYON fetum, cuius brachium in partu prolapſum erat, ſola vi naturae propelli vidit. Venas pulmonales arterias pulmonales numero et magnitudine longe ſuperare Cl. PORTAL confirmat. Idem varietates nonnullas venarum harum deſcribit.

p. 44. Inter *obſeruationes botanicas* etiam eae occurrunt, quas Cl. MVSTEL Academiae Regiae Londinenſi communicauit *).

p. 131. Inter elogia membrorum Academiae Regiae, anno hoc demortuorum primum, eſt Celeberrimi MORGAGNI. Cum de vita et ſcriptis eiuſdem iam alio loco a nobis expoſitum ſit **) ex elogio hoc ſequentia tantum adnotaſſe ſufficiat.

Summos in medicina honores conſecutus eſt, eum nondum decimum ſextum aetatis annum exceſſiſſet. Munus Profeſſoris, in quo Cl. MOLINETTI in Academia Patauina ſucceſſor erat, vt hic ſcribitur anno huius ſeculi decimo quinto in eum delatum eſt. In Commentariis Bononienſibus, nec non in Hiſtoria Academiae Pariſinae a. 1741. nonnullae obſeruationes anatomicae exſtant, quae eum Auctorem habent, et in indice ſcriptorum eius, quem in memoria eius ſupra allegata dedimus, a nobis

*) v. ſuperius p. 105. et Phil. Tranſact. Vol. LXIII. P. I. p. 126.

**) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 733.

nobis omiſſae ſunt. Filium reliquit, ſatisque dives demortuus eſt. Auctor elogii huius libere fatetur, vti in omnibus mortalibus, ita et in MORGAGNIO aliqua fuiſſe, quae ab aliis reprehenſione quadam digna iudicata ſint. Nimiae enim parſimoniae nonnulli illum accuſarunt, neque negandum eſt, eum aſtronomiae indiciariae aliquo modo deditum fuiſſe.

1. Progredimur iam ad ipſos commentarios, inter quos primus eſt: *Examen chemicum aquae mineralis vrbis* Raugae (*Roye*) *in Picardia*, quod Cll. Viros de LASSONE et CADET auctores habet. Libra huius aquae (*Pinte*) ferri granum vnum cum ſemiſſe, terrae calcareae grana duo, terrae calcareae, quae baſin ſalis marini efficit, quartam partem grani, granum ſemis ſalis marini baſi calcarea et totidem ſalis eiuſdem baſi terrea praediti, nec non pauxillum materiae cuiuſdam pinguis continet, quae vegetabilis eſſe indolis videtur et a qua praeſentia ferri in hac aqua pendet. Additur breuis deſcriptio aquarum variarum ferruginearum, quae in confiniis huius vrbis reperiuntur. Mém. p. 1.

2. *Obſeruatio eclipſis Solis* d. 4 Iun. 1769, Auctore Cl. MESSIER. p. 12.

3. *Calculi et obſeruationes de conſilio machinam hydraulicam vi ignis mouendam* (Pompe à feu) *Pariſiis exſtruendi* auctore Cl. LAVOISIER. p. 17.

4. *De Inſecto Americano*, auctore Cl. VOVGEROVX DE BONDAROY. In fructibus palmae cuiuſdam, quae in America creſcit et vti Cl. Auctor putat, nondum deſcripta eſt, in Galliam allatis, inſectum Noſter reperit; quod plane nouum p. 45.

ei esse videtur. Ad Coleoptera pertinet, et cum *Dermeste* satis conuenit, sed antennas filiformes subserratas (aut potius moniliformes) habet. Caput sub thorace inflexum et thorax antice attenuatus ac subtriangularis est. Tarsorum articuli tres numerantur. Lineas circiter 7 longum et quatuor crassum est, et, vti Nobis videtur, ad *Bruchi* genus, cum quo et viuendi ratione conuenit, referri possit.

p. 49. 5. Ill. DE CONDORCET *de determinandis functionibus arbitrariis, in aequationes integrales differentiarum partialium ingredientibus.*

p. 75. 6. *Variae obseruationes ad historiam naturalem pertinentes in confiniis vrbis* Compiegne *factae*, auctore Cl. DE LASSONE. *Lapides lenticulares s. numismatici* in magna copia ibidem reperiuntur, ex quibus solis mons aliquis constat. Ad testacea et quidem bivaluia pertinere videntur, interim Cl. Auctor magis ea ad polyporum classem referenda esse et singulare eorum genus, cuius archetypus adhuc incognitus sit, constituere, autumat. Cum *Porpitis* maximam similitudinem habent. Singularem quoque speciem hippuritis Noster describit et in fine huius commentarii relationem de sceleto Crocodili prope *Traiectum ad Mosam* inuento addit.

p. 93. et 95. 7. 8. *Continuatio disquisitionum circa variationes acus magneticae*, auctore Cl. LE MONNIER.

p. 96. 9. EIVSDEM *commentarius de obliquitate eclipticae.*

p. 97. 10. Cl. DU SEJOUR *de noua methodo analytica computandi eclipses solares.* Commentarius IX.

11. Cl.

11. Cl. LE MONNIER *de longitudine vrbis Lapponicae* Ponui. p. 241.

12. IDEM *de longitudine vrbis Breſtley ex obſervationibus vltimae eclipſis ſolaris.* p. 244.

13. Cl. LE GENTIL *relatio de itinere iuſſu Regis Galliae in oceanum Indicum ſuſcepto.* Illud occaſione tranſitus Veneris per diſcum Solis a 1761. Noſter ſuſcepit et per vndecim fere annos in India orientali commoratus eſt. Maxima pars obſeruationum hic infertarum geographici argumenti eſt. p. 247.

14. Ill. DE CONDORCET *cogitata de methodis approximationis in aequationibus differentialibus hucuſque inuentis.* p. 281.

15. *Obſeruationes iuſſu Regis Galliae in Normandiae oris maritimis factae, quo determinetur, vtrum fumus Fuci maritimi* (Varech) *in praeparatione Sodae combuſti, noxius an innoxius ſit,* Auctore Cl. TILLET. Magna copia ſalis Sodae ex combuſtis fucis maritimis in Normandiae littore praeparatur. Putarunt multi fumum huius herbae noxium eſſe et venenatam poſſidere qualitatem. Experimenta autem a Cl. TILLET et FOUGEROUX inſtituta probant, nil noxii ei ineſſe, nec ova piſcium fuco inhaerere, atque ſine damno vlteriorem praeparationem Sodae incolis huius orae permitti poſſe. p. 307.

16. *Commentarius primus de methodo, qua papyrus in Belgio praeparatur,* auctore Cl. DESMAREST. p. 335.

17. Cl. VANDERMONDE *de reſolutione aequationum.* p. 365.

p. 417. 18. *Commentarius IV. de theoria Mercurii*, auctore Cl. DE LA LANDE.

p. 423. 19. Cl. MESSIER *obſeruatio cometae* a. 1770. et 1771.

p. 430. 20. EIVSDEM *obſeruatio eclipſis lunae* d. 18 Apr. 1771.

p. 435. 21. EIVSDEM *catalogus omnium ſtellarum nebuloſarum, quae* Lutetiis Pariſiorum *conſpici poſſunt.* Addita eſt elegans nebuloſae ſtellae in Orione figura.

p. 462. 22. Cl. DE LA LANDE *collectio obſeruationum aſtronomicarum.*

p. 472. 23. Cl. BERTIN *de pueris, qui ano praecluſo naſcuntur.* Quatuor ſpecies et gradus huius vitioſae conformationis Cl. Auctor recenſet. In aliis enim 1) inteſtinum rectum membrana tantum occluſum eſt. 2) In aliis vero vel totum inteſtinum, vel pars eius tantum deficit, vel illud interius membrana aliqua clauditur. 3) In puellis nonnunquam in vaginam, et 4) praecipue in pueris in veſicam terminatur. Color cutis liuidus et mollis aliquis tumor exterius percipiendus ſigna ſunt, meconium ſub tenui membrana haerere. Omiſſis iis, quae Cl. Auctor ex aliis collegit, ſequentia tantum, quae ei propria ſunt, annotaſſe ſufficiat. Si anus tenui tantum membrana clauditur, ſimplex inciſio ſufficit, nec circulari a LEVRETO propoſita opus
p. 482. eſt. Nonnunquam naturalis quidem apertura exterius apparet, ſed interius inteſtinum clauſum eſt. Sic colon a recto inteſtino penitus ſeparatum, vidit Cl. MOTAIS in quo caſu tamen acum triquetram introducere et partes perfodere Cl. Auctor iubet et contra

contra LEVRETVM monet, talia vitia, etiamſi inteſtini tractus non ad integumenta vſque integer ſit, tamen curationem admittere. In puellis, in quibus inteſtinum rectum in vaginam aperitur, ex Auctoris Cl. ſuſpicione, etiam alia naturalis inteſtini recti apertura adfuit. Cum omnes Auctores de methodo curationis in hac malae conformationis ſpecie obſeruanda ſileant, Cl. Auctor ſuadet, vt etiam in hoc caſu apertura exterius in eo loco fiat, vbi anus eſſe ſolet, vt, illo reſtituto, praeternaturalis in vaginam apertura claudatur. Idem hoc de pueris valet, in quibus inteſtinum rectum in veſicam vrinariam terminatur. Si inciſione hoc in caſu facta, inteſtini recti finem Chirurgus non inuenire poteſt et veſica multo meconio turgeat, eam ipſam per vulnus Noſter aperire iubet, quo faeces egredi poſſint, doletque ſe ipſum eam in ſimili morbo neglexiſſe.

24. Cl. MESSIER *obſeruatio tranſitus Veneris per diſcum Solis*, d. 3 Iun. 1769. p. 501.

25. EIVSDEM *obſeruationes Cometae* a. 1764. p. 560.

26. *Continuatio obſeruationum nauticarum in itinere iuſſu Regis facto in oris Hiſpaniae inſtitutarum*, Auctore Cl. DE BORY. p. 518.

27. Cl. PORTAL *Obſeruationes de tumoribus et obſtructionibus omenti*. Recte Cl. Auctor in hoc commentario lectu digniſſimo monet, Auctores, licet de ſtructura et vſu omenti multa diſputauerint, tamen de morbis eius pauca tantum habere, quamuis in illo plurium et grauiſſimorum malorum ſedes ſit, quae in initio ſuo vt plurimum non dignoſcantur, ſed ad aliorum viſcerum labem referan- p. 541.

ferantur. Cl. Auctor hinc primo casus refert, in quibus omentum variis materiis obstructum et tumor hinc exterius tactu percipiendus ortus erat. Materia in omenti cellulis stagnans in diuersis cellulis saepe natura sua differt, et vel aquosa vel gelatinosa, vel lymphatica esse solet. Hydatides, quae in omento saepius reperiuntur, non ex vasis sanguiferis vel lymphaticis dilatatis, sed ex cellulosa tela formantur. Flatu parietes horum tumorum Cl. Auctor in telam cellulosam mutauit et nonnunquam pinguedinem inter laminas eorum inuenit. Saepe tumores ex obstructione omenti orti mobiles sunt, ita, vt aegri situ mutato ex vno latere in aliud delabantur. Cum tumores in omento natura sua tantum differant et saepe in vno eodemque omento gelatinosi et lymphatici humores stagnent, qui resoluentia natura sua plane diuersa exigant, resolutionem eorum difficillimam et saepe plane impossibilem esse patet. Altera species tumorum in omento ortorum ex pinguedine ibidem morbose accumulata oritur. Mole et pondere omenti vero per morbum auctis, tensiones quoque molestae viscerum, quibus adhaerent, et inprimis ventriculi oriuntur atque aegri hoc malo laborantes saepe molestissimo vomitu afficiuntur. Varios tales casus Auctor Cl. recenset, ex quibus patet, fasciam abdomini circumductam, qua tumores hi subleuabantur, lenimen symptomatum effeciisse. Veram tamen curationem Cl. Auctor nunquam obtinuit. Tertiam morborum omenti speciem Noster hydropem omenti facit, qui licet saepe cum ascite coniunctus sit, tamen etiam nonnunquam solus existit. Fluctuatio in hoc casu tantum in initio laminisque omentis nondum per pressionem aquarum induratis percipi potest. Vomitorio incaute adhibito hydropicum talem tumorem

diſruptum et aegram hinc aſciticam factam vidit Noſter. Aqua intra omenti laminas collecta, per foramen ouale a WINSLOWIO deſcriptum, quo epiploon, vti notum eſt, flatu diſtendi poteſt, non exit. Quartam ſpeciem morborum omenti emphyſematici tumores ibidem orti faciunt. Aëre enim intra eius laminas morboſe euoluto et collecto, quod, vti Noſter aſſerit, non tantum per putredinem, ſed etiam in hypochondriacis et hyſtericis aegris fit, qui flatibus ſaepe moleſtantur, tumor exinde oritur mobilis, exterius tactu percipiendus, et elaſticus, quales Noſter vſu balneorum et equitationis diſpartiiſſe vidit. Monet Cl. Auctor in vniuerſum aërem in cauitatibus corporis humani collectum, diu ibidem ſine magno damno manere poſſe. Ipſe follis ope abdomen canis aëre repleuit, nec vlla ſymptomata inde oriri, ſed abdominis tumorem ſenſim imminui vidit, quod non reſorptioni aëris elaſtici, quam impoſſibilem eſſe putat, cum vefica aëris, vas capillare intrans, reſorptionem plane impediat, ſed amiſſae eius elaſticitati tribuit, quae ab admiſtis vaporibus animalibus producta ſuit. In capite tamen aër collectus grauiſſima ſymptomata breui tempore producit, neque in pectore tam diu, quam in abdomine perfertur. Vltimam tandem morborum, ab Auctore Cl. in omento obſeruatorum claſſem, ſcirrhi eius efficiunt, ſeu tumores calloſi cartilagineam fere naturam habentes. Saepe aquis in abdomine collectis, vel poſt grauiditatem ex compreſſione omenti oriuntur, et vt plurimum diu ſine inſigni noxa tolerantur. Inprimis grauiditas ſaepiſſime eiusmodi mala producit, ita vt in omento feminarum, quae aliquoties pepererunt, fere ſemper eiusmodi tumores reperiantur. Idem quoque ab aliis tumoribus abdominis, ſi epiploon comprimant, oriri poteſt.

28. Cl.

p. 566. 28. Cl. VANDERMONDE *obſeruationes de problematibus ſitum ſpectantibus.*

p. 575. 29. Cl. PORTAL *obſeruationes de ſitu viſcerum in pueris et mutatione eiuſdem in adultiore aetate.* Magnitudo abdominis in pueris et adultis maxime differt, cum ſpatium inter ſternum et pelvim, quod in adultis quintam partem altitudinis totius corporis aequat, in pueris tertiam efficiat, et in vniuerſum quoque haec cauitas amplior ſit. Peluis contra capacitatem in pueris longe minorem eſſe, quam in adultis, notum eſt. Ventriculus qui in adulto tranſuerſalem ſitum habet, in fetu fere perpendicularis et ad vmbilicum vſque deſcendit. Conuexa eius pars ſiniſtrum, concauum vero dextrum latus ſpectat. Hinc omentum in pueris ſiniſterius magis ſitum eſt. Hepar contra, vti notum eſt, magnitudine ſua magnitudinem hepatis adulti longe excedit et fere omnem dextram mediamque abdominis partem replet. Contra duodenum retro ventriculum ſitum eſt, et anfractus eius facilius, quam in adultis diſtingui poſſunt. Lien profundius, quam in adultis deſcendit et magna eius pars in media abdominis parte ſita eſt. Veſica vrinaria tota extra peluim iacet et vrina diſtenta exterius in media et inferiore abdominis parte eminet. Hinc in puero calculo laborante apparatus altus, reliquis calculum ſecandi methodis et ipſi apparatui paruo, praeferri debet. Etiam vterus et ouaria extra peluim ſita ſunt. Lobus ſiniſter hepatis ſenſim decreſcit, quod et mutationi ſitus ventriculi anſam praebet. Ouarium ſiniſtrum frequentius dextro altius poſitum et magis ad vertebras inclinatum eſſe Noſter monet.

30. Cl.

30. Cl. BAILLY *de vario lumine et menſura diametri ſatellitum Iouis.* p. 580.

31. Cl. LE ROY *de globo igneo in magna parte Galliae* d. 17 Iul. anni 1771. viſo. p. 668.

32. *Theoremata ſupra quadraturas*, auctore Cl. de CONDORCET. p. 693.

33. Cl. DESMAREST *de origine et natura Baſaltis, ex columnis magnis polygonis conſtantis, ad obſeruationes in Auernionenſi prouincia inſtitutas.* p. 705.

Varias opiniones de natura et origine baſaltis primum Noſter recenſet. Nomen *Baſaltis* ei primum a GEORGIO AGRICOLA, qui montem Stolpenſem deſcribit datum eſt. Notum eſt recentiores mineralogos lapidum horum, forma ſua priſmatica mirabilium, ortum montibus igniuomis tribuere. Cl. Auctor iam a. 1763, in comitatu Auernionenſi, vbi plura montium olim igniuomorum veſtigia inueniuntur, varias quoque maſſas ex baſalte conſtantes et montibus igniuomis impoſitas reperit. Enarratis locis, vbi baſaltes in hac regione reperitur, variisque eius ſpeciebus deſcriptis, ex laua ſeu materia e montibus igniuomis effluente refrigerata et cryſtalliſata baſaltem ortum eſſe, probare Noſter annititur. Materia vero liquefacta ex granite ignis vi fuſo ortum ſuum duxit. Adiicit deinde Noſter deſcriptionem montium ex baſalte compoſitorum, qui in Germania reperiuntur, quibus etiam celebris ille prope *Annabergam* mons, *Bielberg* dictus, qui fere totus baſalte conſtat, plurimique in Luſatia addi potuiſſent. Tandem Cl. Auctor varias productiones montium igniuomorum deſcribit et mappam geographicam addit, in qua veſtigia montium olim igniuomorum et

et varia baſaltis genera in comitatu Auerniocenſi reperiunda indicantur; Cel. WALLERIVM, qui de baſaltis ortu per ignem dubitauit, pluribus refellit.

p. 776. 34. *Commentarius de parallaxi Solis*, Auctore Cl. DE LA LANDE.

p. 800. 35. *Obſeruationes botanico-meteorologicae a. 1770 inſtitutae*, a Cl. DU HAMEL.

p. 830. 36. *Index eorum, qui ab a. 1709, ad annum 1770 Pariſiis nati et mortui ſunt vel matrimonium inierunt*, auctore Cl. MORAND, filio.

p. 849. 37. *Relatio de variolarum inoculatione in Regia Galliae* (LVDOVICO XVI.) *et familia regia inſtituta*, auctore Cl. DE LASSONE. Proſperrimus inoculationis ſucceſſus fuit, nec in vllo familiae regiae grauiora ſymptomata obſeruata ſunt.

II.

M. SAXTORPH M. Doct. artis obſtetric. lector, et domus Reg. obſtetric. in ciuitate Haunienſi antiſtitis, Theoria de diuerſo partu ob diuerſam capitis ad peluim relationem mutuam, experientia fundata et figuris aeneis illuſtrata. Hauniae et Lipſiae apud F. C. Pelt. 1772. 8. pl. 13. tab. aen. 1.

Cl. Libelli huius Auctor illum primum diſſertationis inauguralis loco in Academia Haunienſi defendit atque nunc figura aenea auctum iterum vulgauit. In prolegomenis deſcriptionem phaenomenorum, quae in partu naturali obſeruantur et diuiſionem partus praemittit. Motus in abdomine parturientis obſeruandi alii conuul-

ſiui

ſiui ſunt, qui eleuatum abdomen vna cum extenſo vtero alternatim conſtringunt, alii depreſſorii inter inſpirandum et cum retentione ſpiritus coniuncti, quibus contenta vteri et abdominis deorſum premuntur.

Prima ſectione Cl. SAXTORPH de mutua p. 15.
relatione agit, quae in partu perfecto inter peluim bene formatam et rite proportionatum caput infantis intercedit. Diameter peluis *tranſuerſalis* non omnium diametrorum aperturae ſuperioris maxima eſt, ſed datur alia *obliqua*, quae in pelui, carne denudata, maxima obſeruatur et a confinio coniunctionis oſſis ſacri cum oſſe ilium, oblique verſus anteriora, ad medium fere punctum oſſis pubis oppoſiti ducitur. Haec tamen diameter in pelui carne veſtita minor videtur, quia muſculus Pſoas partem poſteriorem aperturae ſuperioris corpore ſuo tegit. Iuxta hanc diametrum obliquam in partu perfecto directa eſt futura ſagittalis capitis bene proportionati, iſto ſcilicet tempore, quo caput aperturam ſuperiorem ingreditur. Hoc non per explorationem modo, ſed et per ſectiones parturientium, in partu demortuarum confirmatur. Cauſſa huius directionis capitis potiſſimum in pelui haeret. Illud enim ſtatim in introitu peluis magnam reſiſtentiam patitur a prominentia oſſis ſacri, quae fetus frontem ad latus dirigit, quam ob rem ſagittalis futura neceſſario in diametrum obliquam aperturae ſuperioris peluis cadit. Effectus huius directionis eſt cranii lateralis compreſſio et occipitis conueniens mutatio in oblongam figuram. Partu deinde vlterius progrediente, ſitus capitis ita mutatur, vt verſus exitum occiput primum prodeat, tandemque in fine partus ſinciput iterum verſus anteriora ſic propellitur, vt in

exitu diameter eius longitudinalis toti ſuperincumbat diametro maiori aperturae inferioris, donec totum vna cum facie, primum e pelui excutitur.

p. 29. Hanc theoriam de mutatione ſitus capitis in tranſitu cauitatis peluis, multi quidem negant; ſed cauſſa erroris in eo latet, quod ad mechaniſmum partus naturalis non ſatis attenderint, vel habitu caruerint, qui, ſi eiusmodi obſeruationes inſtituendae ſunt, requiritur, vel tempus opportuniſſimum in explorando neglexerint, vel eam non recte inſtituerint. Addit Cl. Auctor varia argumenta, quibus theoriam hic propoſitam confirmat, atque in
p. 38. primis cauſſas fuſius explicat, quae in partu perfecto aut maxime naturali, hanc ſitus capitis mutationem producunt.

p. 44. In altera ſectione Cl. Auctor de partubus, qui ex mala peluis conformatione, capite bene formato et ſito oriuntur, diſputat et diuerſa peluis oſſeae vitia enarrat, quae partum difficilem reddere poſſunt. Inter haec primum referri meretur nimia peluis amplitudo, quae non ſolum protruſioni inferioris ſegmenti vteri atque inflexioni eiusdem, nec non prolapſui et inuerſioni eius anſam praebere poteſt, ſed etiam efficit, vt debitae mutationes ſitus capitis antea deſcriptae non contingant. Haud raro quoque in tali peluis amplitudine totum ouum expellitur, maximo fetus matrique periculo et labores partus, ob defectum debitae reſiſtentiae peluis, ab initio partus ſtatim iuſto celeriores ac frequentiores inſequuntur, quod conuulſiones aliaque mala plurima excitare poteſt.
p. 49. Nimiam peluis anguſtiam partum retardare et difficiliorem reddere, nec non varia alia mala producere poſſe, facile patet. Inter ea ruptura vteri eo, quam

quam vero Cl. Auctor non, vt LEVRETVS, calcitrationi fetus adſcribit, cum vterus fetum vndique conſtrictum teneat, effluxis aquis, eaque ruptura haud raro non in fundo, ſed in latere vteri accidat.

Enarrat deinde Cl. Auctor vitia, quae in partibus ſpecialibus peluis, apertura ſuperiori, inferiori, aut cauo eiuſdem occurrunt et noxas, ex ſingulis oriundas, docte et accurate explicat. p. 52.

Tunc ad illam diu iam multumque agitatam controuerſiam de ſeceſſu oſſium pubis in partu accedit, quam alii in omni, alii in laborioſo demum partu, alii denique nunquam contingere autumant. Adduntur vero varia argumenta, quibus diuerſarum harum ſententiarum defenſores eas confirmare tentant. Nonnunquam oſſa peluis in laborioſo partu diduci et morboſam eorum mobilitatem poſt partum remanere, ipſe Cl SAXTORPH obſeruauit. Omnia fere ab Auctoribus de ſeiunctione oſſium horum ſub partu exempla, aut praeternaturalem in partu adhibitam vim, aut morboſam corporis conſtitutionem vel male formatam peluim monſtrare, Noſter concludit. p. 70.

Tertia tandem ſectio de partubus exponit difficilioribus, qui, pelui naturaliter conſtituta, ex mala capitis conditione oriuntur. Caput vero ratione magnitudinis, ſtructurae et ſitus peccare poteſt. Caput nimis magnum rarius inuenitur, quam vulgo creditur, plurimaque vitia, quae magnitudini nimiae capitis tribuuntur, tantum a ſitu eius praeternaturali pendent. Si quoque caput in vna parte ex compreſſione iuſto longius factum ſit, altera tamen parte e contrario minus fit, ita vt vera circumferentia eius raro maior ſit naturali. p. 84.

Quod vero peruerſum ſitum capitis fetus attinet, vt cauſſas p. 89.

ab ipſo fetu vel ab obliquitate aut mala conformatione et vitiis morboſis vteri pendentes taceamus, obſtetricans ipſe, quando caput manu in rectum ſitum componere aut illud retrudere contendit, aut praematurum aquarum effluxum excitat, cauſſa eſſe po-
p. 90. teſt. Diuerſas ſpecies ſitus capitis peruerſi Cl. Auctor fuſius recenſet, incommoda ex ſingulis oriunda explicat, monetque non raro partum difficilem ex compoſitis peluis capitisque vitiis oriri. Saepe partus facilis, omni exſpectationi ac theoriae contrarius contingit, quae tamen exceptiones datas regulas non deſtruunt, cum circumſtantiarum, quae partum determinant, ſumma ſit varietas. Sic
p. 108. v. c. Cl. Auctor caſum recenſet, in quo fetus, cuius praeuium brachium extra vuluam, cum inclinato in cauo peluis humero prominebat, naturae viſponte prodiit, idemque in alio partum ſatis facilem vidit, licet cranii ſuturae iam perfecte coalitae eſſent. In vniuerſum quoque, etſi cognitio relationis inter caput et peluim, maximi in arte obſtetricia momenti ſit, ad reliqua quoque, quae in partu influxum aliquem habent, inprimis vero ad conditionem dolorum ad partum attendendum eſt.

Quarta ſectione auxilia explicantur, quae in partu difficili, in quo caput fetus praeuium eſt, praeſtanda ſunt. Hoc vel ſola manu fit, qua capite oblique v. c. ſito, manu intra vterum immiſſa verſio inſtituitur. In imperfecta quidem vteri obliquitate nonnulli digitis duobus intra caput et peluim eo loco immiſſis, vbi illud margini horum oſſium inhaeret, ſitum capitis emendare et orificium vteri obliquum propius ad axin peluis adducere ſtudent. Sed Cl. Auctor varias cauſſas recenſet, quae impediunt, quo minus hoc commode
p. 115. fieri poſſit. Nullum enim datur in abdomine ſpatium

tium vacuum, in quod fundus vteri detrudi possit, cum in latere ex quo deuiatus est, sub grauiditate intestina iaceant. Atque nunquam tali operatione proxima obliquitatis vteri caussa tollitur, quae, vt Cl. LEVRETVS demonstrauit, consistit in minori extensione lateralis partis vteri, eiusdemque crassitie maiori in latere altero, quo vergit fundus, propter placentam huic loco adhaerentem. Inepte quoque caput peluis margini inhaerens, sine magna noxa et periculo inflammationis colli vteri, circa caput vaginae instar contracti, in tanta vteri irritabilitate in axin peluis dirigi potest, neque, si etiam hoc fieri queat, trunci situs emendatur. Hinc semper in hoc casu Cl. Auctor versionem praefert. Si vero vterus rectus, nec truncus fetus valde perversus sit, hoc artificio situm capitis obliqui emendari posse Cl. SAXTORPH concedit, quod etiam plurima omnibus obstetricantibus nota exempla probant. Addit deinde Cl. Auctor reliquas ratio- p. 117.
nes, quae versionem fetus, vel in iusto fetus situ nonnunquam exigunt, nec non contraindicantia huius operationis, quorsum molem nimiam capitis, peluis angustiam, caput iam perforatum (cum periculum sit, ne ossa diffracta vterum laedant) partum conuulsionibus stipatum, si os vteri nondum apertum sit, partum immaturum ante septimum mensem et tandem eum, in quo caput iam in cauo peluis haeret, refert. In vniuersum quoque versio nunquam periculo caret dolorifica est, e s. p. hinc tantum in casibus valde necessariis suscipi debet.
Describit deinde Cl. Auctor fusius ea, quae in ipsa p. 123.
operatione obseruanda sunt, situm parturientis, ea, ad quae in exploratione attendi debet, variaque circa totum versionis negotium monita addit.
Praeparationem a LEVRETO, CRANZIO cet. p. 141.
commendatam (cuius praecipuum momentum in

eo poſitum eſt, vt caput a pelui, cui incumbit, iuxta certas regulas, pro quolibet ſitu determinandas, verſus fundum protrudatur, eleuatis nempe humeris, truncoque ſpiraliter in altitudinem moto, quo ſponte extremitates inferiores verſus peluim deſcendant) in *machinis* potius, quam in viua puerpera exerceri poſſe, recte Noſter monet. Ea enim in vtero parum tantum contracto, non obliquo aut curuato, in fetu ſatis mobili et in quo artus ſtatim truncum ſequuntur, quae omnia fere nunquam in partu occurrunt, fieri poteſt, tantamque in ea operator vim adhibere debet, quo reſiſtentiam vteri ſuperet, vt eam mater et fetus ſine noxa ferre nequeant. Nos ipſi, qui eam ſaepius in machinis tentauimus, nunquam vero in vtero viuo, ex quo aquae iam ante aliquot horas effluxere, omni data opera adhibere potuimus, ad ſententiam Cl. Auctoris lubenter accedimus. Bene quoque ac ſapien-

p. 147. ter Noſter monet, machinas, in quibus artis obſtetriciae magiſtri tironibus praecipuas artis encheireſes oſtendunt, praeter externam formam, fere nullam cum corpore parturientis viuo ſimilitudinem habere, idque pluribus argumentis probat.

p. 155. LEVRETI methodum, qua ille in verſione corpus fetus ita reuoluit, vt facies poſteriora ſpectet, deſcribit. Aſſerit Cl. Auctor illum in ſolutione brachiorum haec ipſa verſus dorſum fetus deprimere et educere, hancque ſoluendi brachia methodum noxiam eſſe, cum in ea facile luxetur brachium, monet. Interim nos ipſi, qui LEVRETVM autem obſtetriciam docentem audiuimus, probe ſcimus, brachia, ab eo lateraliter magis educi, quam Cl. Auctor putat.

p. 162. Progreditur deinde Cl. Auctor ad inſtrumentorum in partu difficili applicationem, primumque de forcipe agit, eamque, quae ex Levretiana et Smel-

Smelliana ita componitur, vt cochlearia ad LEVRETI, iunctura vero ad SMELLII mentem fabricata sint, reliquis speciebus praefert. Circumstantias, quae forcipis applicationem suadent aut dissuadent, omnes recenset. Si dolores ad partum adhuc adsint, vix forcipis applicationem instituí debere monet. Caput in apertura peluis superiore haerens Levretiana forcipe solui posse, quod nonnulli contendunt, impossibile Noster iudicat; cum in eo casu orificium vteri non adeo apertum sit, vt forceps sine laesione introduci possit; ac brachiorum quoque coniunctio intra vaginam difficillima et extractio capitis iuxta axin peluis cum curua forcipe impossibilis sit. Speciales tandem regulas et encheireses in singulis capitis praeuii speciebus, circa forcipis LEVRETI et SMELLII applicationem obseruandas, fusius exponit. Fetus caput forcipe prehensum LEVRETVS circumrotari suadet, si sinciput scilicet praeuium, caputque transuersaliter inter latera peluis inclauatum sit. At Noster hoc in machinis tantum, non in viuo corpore fieri posse, probat. Idem quoque de SMELLII artificio, qui in laterali capitis situ, brachium vnum forcipis sub ossibus pubis, alterum secundum concauitatem ossis sacri immittit, iudicat. Ea enim vix non semper successu carebit plurimisque periculis stipatur, quae a compressione partium mollium et ossis coccygis in matre potissimum pendent. Hinc Noster forcipem Smellianam rectam ad latera pelvis, circa maximam capitis diametrum, ordinario modo introducit, os frontis versus os occipitis leniter comprimit et postea caput educit. Optimum hunc modum esse, caput transuerse situm e pelui educendi, experientia comprobat. Si facies fetus anteriora spectat, LEVRETVS per fe- p. 171.

neſtras cochlearium ante applicationem forcipis ſi-
ſciam ducit ac forcipis brachiis vulgari modo appli-
catis, eo tempore, quo vna manu manubria forci-
pis verſus oſſa pubis eleuat, altera cochlearia ſe-
ſciae ope deprimit, motuque tali compoſito faciem
educit. Ingeniosiſſimam eſſe hanc encheiresin
Noſter contendit. Interim ſi dicendum quod res
eſt, nobis videtur illa vix eum obtineri vſum poſſe,
quem Cl. LEVRETVS et Noſter inde exſpectant.
p. 196. ROONHVYSII vectem in pauciſſimis caſibus
vſui aptum eſſe Cl. SAXTORPH probat, ſem-
perque forcipis vſum praefert. Deſcribit tandem
p. 198. Cl. Auctor, quae in inſtrumentorum ſecantium, per-
foratorii ſcilicet, vnci cet. vſu fieri debent. In ca-
pite auulſo ſemper diminutio molis eius praece-
dat, quo facto, vel naturae ope extruditur, vel
vnco facile extrahitur, qui in hac re manu et for-
cipe praeferendus eſt. Plures alias obſeruationes
lectu digniſſimas, quae in hoc libro reperiuntur,
ſpatii anguſtia impediti omittimus.

III.

Syſteme nouveau & complet de l' Art des
Accouchements, tant theorique que pra-
tique, avec la deſcription des maladies parti-
culières aux femmes enceintes, aux femmes
en couche & aux enfants nouveau-nés.
Traduit de l' Anglois de I. BVRTON. Par
Mr. LE MOINE, Docteur Régent de la Fa-
culté de Paris. à Paris chez Heriſſant. T. I.
1771. p. 584. tab. aen. 18. T. II. ib. 1773.
p. 782. tab. aen. 1.

i. e.

Nouum et completum ſyſtema artis obſtetri-
ciae,

ciae, theoreticum et practicum, cum descriptione morborum, qui in grauidis, puerperis et infantibus maxime frequentes sunt. Auctore Cl. I. BVRTON. In gallicam linguam translatum a LE MOINE.

In Gallica hac versione operum Cl. BVRTON, tum systema artis obstetriciae, tum Epistola EIVS ad Cl. SMELLIE continetur, de quibus alio loco iam egimus *). Plures tamen notas Cl. Editor adiecit, vt vel aliorum Auctorum testimoniis BVRTONI sententiam confirmet, vel ea, quae Auctor breuiter tantum dixit, aut plane neglexit, fusius explicet, ita, vt nunc hic liber omnino completi systematis artis obstetriciae nomine dignus sit. Fatetur Cl. LE MOINE se iis potissimum vsum esse praeceptis, quae Cl. A. PETIT in suis lectionibus proposuit. Nonnunquam Cl. SMELLIE contra BVRTONVM, qui acrius in eum inuehitur, defendit. Addit quoque Cl. LE MOINE libellum singularem de morbis infantum, qui certe inter optima compendia, in quibus theoria et praxis horum morborum explicatur, referri meretur. T. II. p. 537.

*) v. Supplem. Dec. I. p. 456 et 461.

IV.

GEORGE WILHELM STEIN *der Arzneygelahrheit Doctors und Hochfürſtl. Heſſiſchen Hofmedici, der Arzney-Wundarzney und Entbindungskunſt ordentlichen Lehrers am Collegio Carolino und des Collegii Medici zu Caſſel Mitglieds, theoretiſche Anleitung zur Geburtshülfe. Zum Gebrauche der Zuhörer. Caſſel bey H. Schmidt.* 1770. 8. p. 175. tab. aen. 8.

V.

Ebendeſſelben practiſche Anleitung zur Geburtshülfe in widernatürlichen und ſchweren Fällen. ib. *bey Cramer.* 1772. p. 239. tab. aen. 8.

i. e.

Theoretica et practica inſtitutio ad artem obſtetriciam, Auctore GEORGIO GVILIELMO STEIN M. D.

Compendio hoc Cl. Auctor optime de arte obſtetricia meritus, ſuamque in ea peritiam, iam variis minoribus huc pertinentibus ſcriptis, ſuo loco in ſupplementis a nobis commemorandis, declaratam, magis adhuc probauit. In theoria artis, quam mathematicis et mechanicis principiis fere vbique ſuperſtruxit, Cl. LEVRETI compendio plurimum vſus eſt, multa tamen etiam emendauit et addidit. Vnicum, quod in eo deſiderare quis poſſet, forte in eo poſitum eſt, quod ii, qui matheſeos paullo ignari ſunt, quales tamen plures, ſi ex arte obſtetricia magnus in rempublicam redundare debet vſus, in ea inſtruendi ſunt, vix ex eo magnam vtilitatem capere queant, nec, ſi etiam a docto magiſtro huius compendii explicatio ſuſcipiatur, omnia intelligere poſſint. Hoc inprimis de

iis

iis valet, quae Cl. Auctor in parte theoretica de pelvis figura, partu, situ parturientis cet. exponit. In vniuersum autem in hac priore parte Cl. Auctor de partibus genitalibus mulierum, grauiditate, ouo foecundato et partu exponit. Ad vesicae aquarum disruptionem annulo vtitur, qui perforatorio a SIMSONO, ni fallimur, proposito simillimus esse videtur. Describit quoque in hac parte fusius Cl. Auctor ea, quae in partu naturali peragenda sunt, perinaeique rupturam volae manus applicatione, quam alii recentiores iam commendarunt, impediri docet. Digitis in vaginam versus perinaeum immissis caput ita dirigit, vt sursum et antrorsum prematur, nec perinaeum laedat, aut, si digiti non in vaginam immitti possint, vel recte ROONHVYSII eadem ratione vtitur, vel duos digitos in anum immittit et ita caput versus anteriora premit. Tabulae aeneae, ad priorem partem huius compendii pertinentes, ex LEVRETO desumtae sunt. Tom. I. p. 179.

In altera parte Cl. Auctor de iis exponit, quae ab obstetricante in partu praeternaturali et difficili fieri debent. Modum, quo ex situ partium fetus cognito, situs reliquarum definiri potest, nec non causas, quae situm fetus praeternaturalem producunt, egregie explicat. Quod ad vteri obliquitatis causas attinet, LEVRETI potissimum sententiae accedit. Iure miratur, Cl. SMELLIE et MAVRICEAV eius nullam mentionem fecisse. Versionem in primipara reiicit. Laqueorum vsum non in omni versione necessariam esse recte monet. Praeparationi Levretianae *) in versione fauet, methodumque, qua ea peragenda est, fusius describit. T. II. p. 35. p. 99.

Forci-

*) vid. superius p. 417.

p. 132. Forcipem Levretianam omnibus reliquis praefert. Eandem de *perforatorio* LEVRETI *duabus laminis inſtructo* (*perce-crane à deux lames*) ſententiam fouet et emendationem a beat. FRIE-
p. 137. DIO iuniore propoſitam, qui elaterem addidit, reiecit, atque de ea, nec non de aliis a recentioribus v. c. a PLENCKIO propoſitis inſtrumentis, durioribus paucis verbis vtitur. Ex vncis praeſtantiſſimum iudicat Smellianum, manubrio ex emendatione LEVRETI inſtructum. Cur vero *vnco* LEVRETI *vagina praedito* (*Crochet à gaine*) nec non *forcipi* EIVS, diu iam reiectae, *tribrachiali* (*à trois branches*) adhuc vſum aliquem tribuat Noſter,
p. 178. ignoramus. In eo caſu, vbi facies fetus lateralem ſitum obtinet, varias methodos, a variis recentioribus commendatas recenſet atque reiicit. Monet enim, neque poſſe per vnum brachium forcipis faciem anteriora verſus conuerti, neque forcipem ita applicari, vt vnum brachium ſub oſſe pubis, alterum ſupra os ſacrum immittatur. Denique eam quoque methodum pernicioſam maxime iudicat, qua caput, cuius facies os ſacrum reſpicit, nonnulli forcipe prehendunt et in ſitum tranſuerſalem dirigere tentant, quem ſitum OVLDIO duce maxime naturalem eſſe iudicant. In figuris ſitus varii perverſi fetus ex Smellianis tabulis, nec non praecipua inſtrumenta, quae in partu difficili adhibenda ſunt, delineantur. Inter ea (Tab. 1.) culter eſt, annulo affixus, quo veſicam aquarum aperit, nec non (Tab. 8.) noua capititraha, duobus tantummodo brachiis inſtructa.

VI.

Diſſertatio inaug. medica de natura cruſtae inflammatoriae in ſanguine miſſo apparentis, quam publice eruditorum examini ſubmittit FRANCISCVS IOSEPHVS KRAVS, Bohemus Chrudinenſis. Pragae 1773. 8. pl. 7.

Diſſertationis huius Cl. Auctor probare annititur p. 1.
cruſtam inflammatoriam non eſſe ſerum ſanguinis aeſtu inflammationis febriſque coactum, neque materiam peregrinam per cauſas morboſas ſanguini praeternaturaliter inductam, ſed partem conſtitutiuam ſanguinis, lympham nempe coagulabilem maſſae eius naturaliter inſidentem, quae variis cauſſis externis internisque maiori in copia ad ſuperficiem ſanguinis e vena miſſi colligitur, ibique plus minuſue albidum et denſum corium efformat. Lympha haec coagulabilis, tum in placenta cum parte ſanguinis rubra, tum in aquoſa portione cum ſero ſeu ſalino-aquoſa parte mixta deprehenditur. SENACVS huic parti primum lymphae coagulabilis nomen impoſuit, aliis *pars fibroſa* ſanguinis nec non materies factitiae membranae vocatur. A parte rubra tum eluitione, tum agitatione ſeparari poteſt, quo artificio RVYSCHIVS membranam ſuam e ſero parauit. Vltimo hoc artificio etiam ex ſero obtinetur, licet id Cel. DE HAEN neget; multo facilius vero hoc p. 15.
fit caloris vi et acidorum affuſione. Lympha nullum ſaporem odoremue oſtendit. Omnes vero qualitates, quae in lympha craſſamenti ſunt, etiam ſeri pars coagulabilis, cruſta inflammatoria, albumen oui, pars coagulabilis ſeu caſeoſa lactis cet. oſtendunt. In alimentis iam haec materia reperitur, nec in animalibus tantum, ſed et in vegetabilibus: nam

V. C.

v. c. eam farinae partem conſtituit, quae chemice examinata eadem producta, quae animalium partes, largitur *). Globuli rubri craſſamentum formantes inter ſe tantum lymphae ope cohaerent. Sero affuſo globuli e craſſamento optime eluuntur, cum ſerum eos non vt aqua ſuſpenſos teneat, ſed ii in ea mox fundum vaſis petant.

p. 28. Ruboris in ſanguine gradus diuerſi a lympha coagulabili pendent, plus minus globulos rubros ſeparante. Hinc inferior craſſamenti pars nigricat. Rubedinem ab aëre pendere, Cl. HEWSON **) experimento, flatu in venam cuniculi ligatura conſtrictam immiſſo, probare tentat; non vero ab aëre, ſed a maiori globulorum ſeparatione et fluiditate cruoris hunc colorem oriri, Noſter aſſerit. Haec dilutio quoque cauſſa eſt, quae efficit, vt ſanguis a variis ſalibus magis rubeat. Ab eadem maiore lymphae copia, differentia inter ſanguinem arterioſum et venoſum pendet. Aquoſa ſeri pars ſalina eſt et acris atque euaporando tota fere diſſipatur. Sal, quod in ea continetur, ammoniacalis naturae eſt, cum ab addito alcali fixo odor alcali volatilis, ab adiecto acido vitriolico muriaticus adſurgat. Cum vrina maxime conuenit. Gelatinoſam et mucoſam partem, praeter has dictas in ſanguine adſumere minus neceſſe eſt, cum humores illi lympha tantum ſint, vi vaſorum mutata.

p. 38. Eadem lympha cruſtam inflammatoriam praebet, quae itaque non in morbis tantum oritur, ſed cuius ſeminium iam in ſanguine omni tempore naturaliter adeſt. Probat hoc Cl. Auctor ex eo, quod ſanguis ſaniſſimi hominis in prophylaxin miſſus

*) v. Cl. BECCARIA Inſtit. Bonon T. II. P. I. p. 123.

**) v. Phil. Tranſact. Vol. LXIII. p. 303. Comm. Vol. XXI. p. 108. et EIVSDEM *Experimental Inquiry*. Lond. 1771.

missus crassissima saepe stipetur crusta, quod polypi sine praegressa inflammatione frequenter generentur, quod grauidarum sanguis similem a venaesectione sistat crustam; quod eadem adpareat, si femur aut brachium ligatura constringantur; quod sanguis venereorum, podagricorum, scorbuticorum, febri intermittente, catarrho cet. laborantium, ob similem crustam, pessimam saepius inflammationem mentiatur, nullis tamen verae inflammationis signis praesentibus. Chemice examinata, omnes proprietates lymphae coagulabilis ostendit. Caussae vero, quae separationem huius lymphae certis temporibus efficiunt, in solidorum vi vitali increscente potissimum positae sunt, quae non solum vniuersi corporis lympham, sed et illam, quae in vasis partis inflammatae continetur, ita mutat, vt ex superficie eius sub materiae puriformis specie exsudet. Hinc ea materiam purulentam ex vlcere profluentem, vel ex bronchiis screatu aut ex intestinis diarrhoea reiectam, vel in interna aliqua parte critice nulla praegressa inflammatione depositam, efficit. His praemissis Cl. Auctor non solum p. 51. fusius explicat, quomodo hoc augmentum vis vitalis lympham podagricorum cet. ita mutare possit, sed et variorum aliorum phaenomenorum, in morbis inflammatoriis obseruandorum, explicationem addit.

Eadem haec lympha densata polypos constituit p. 62. et in aneurysmatibus colligitur, extremitates arteriarum resectarum obturat, in cauum bronchiorum transsudans materiam sputorum coctorum crassorum subministrat et nonnunquam figuram bronchiorum exprimit, aut ex intestinis membranae specie decedit. Scirrhorum quoque materiam praebet, vnde ratio patet, cur scirrhus saepe post inflam-

inflammationem oriatur et cur viſcera, cutis, aliaeque glanduloſae partes ſcirrhoideae fiant. Porro illa cohaeſionem ſanguinis efficit: quapropter, ea morboſe mutata, ſanguis quoque reſoluitur. Diuerſitas, quam ſanguis in eadem venaeſectione, ſed in diuerſa vaſcula miſſus, oſtendit, a mutatione ſtatus ſolidorum ſub venaeſectione cet. pendet, a qua lymphae procliuitas in concretionem, nunc augetur, nunc minuitur *). In fluidis enim ipſis mutationem aliquam fieri, neque diuerſas ſanguinis qualitates a diuerſa celeritate, qua ſanguis profluit pendere, obſeruationes a HEWSONIO prolatae probant; qui vidit ſanguinem prius exeuntem tardius eo, qui ſerius effluxit, coire.

p. 77. Si lympha ſanguinis inaequaliter denſatur, ea quoque inaequaliter in coagulum procliuis eſt, vt hinc ſanguis in vaſculum miſſus in vno loco coeat, in altero fluidus maneat. Poſtea Cl. Auctor ſententiam Cl. HEWSONII examinat **), qui lymphae in coagulum procliuitatem, ex denſitate eius aucta in inflammatione oriri negat, ſed potius lympham fluidiorem fieri autumat. Credit vero Noſter eam omnino denſiorem fieri. Quo denſior autem et durior cruſta inflammatoria eſt, eo diutius lympha fluida manet. Cauſſa huius phaenomeni in tardiore exhalatione aquoſae partis ex lympha denſiore poſita eſt. Quo tardior vero ea eſt, eo diutius calor et fluiditas lymphae durabit. Tandem Cl. Auctor explicat effectus, quos cauſſae externae, v. c. aër, varii gradus caloris et frigoris, motus cet. in generationem cruſtae

*) Vix tamen explicari poteſt, qua ratione ſolidis mutatis, tam celeris quoque fluidorum mutatio accidere queat.

**) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 493.

cruſtae inflammatoriae producunt. Sanguis non denſatur, niſi materia euaporabilis ſeceſſerit, quem ſeceſſum aër et motus promouent.

VII.

Medical and chirurgical obſeruations as an Appendix to a former Publication by BENIAMIN GOOCH, Surgeon. London printed for G. Robertſon 1773. 8. 18 pl. tab. aen. 4.

i. e.

Obſeruationes medicae et chirurgicae, appendicis loco ad opus antea editum publicatae a B. GOOCH, Chirurgo.

De libro, cuius appendicem has obſeruationes Cl. GOOCH eſſe voluit, iam in ſupplementis decadis ſecundae horum commentariorum *) diximus. Senex vero Cl. eius Auctor, tum ſuas, tum aliorum etiam obſeruationes ſibi communicatas, in hoc tertium operum ſuorum chirurgicorum volumen collegit. Licet vero non omnes in eo contentae obſeruationes magni momenti ſint, neque illud ad praeſtantiam priorum accedat, tamen non negandum eſt, nonnullas omnino noſtra attentione dignas nobis viſas eſſe.

Agit vero Noſter primo de morbis epidemicis annorum 1739. 40. 41. et 42. Anno trigeſimo nono putrida febris in Anglia graſſabatur, in qua non venaeſectiones ſolum, ſed et purgantia noxam affere- p. 1.

*) Suppl. Dec. II. p. 593. et antea in Comm. noſtr. Vol. IX. p. 303.

afferebant. Oleum Ricini, quod Anglice *Caſtor-oil* vocatur, cum vitello ouorum ſolutum in obſtructione alui, etiam chronica, multum Noſter commendat. In ſumma malignitate febris putridae tumores oedematoſos in variis corporis partibus oriri vidit, qui ſanguinem extrauaſatum ac inter perioſteum et
p. 13. oſſa ipſa effuſum continebant. Anno 1740. vernali tempore oedema faciei eryſipelatodes, quod Angli *Mumps* dicunt, in quo morbo, vti plures alii Auctores annotarunt, graſſabatur, ſaepe metaſtaſis ad teſtes fiunt, quod a Noſtro etiam obſeruatum eſt. Glandularum ſaliualium tumor morbo ſuperato remanens, vſu mercurialium interno vel frictionibus lenioribus mercurialibus adhibitis, facile diſſipatur.
p. 18. Febrem inflammatoriae naturae vidit Noſter, in qua exanthematum apparitio ſemper leuamen afferebat, quae calido regimine et ſudoriferorum vſu retardata, venaeſectione contra et methodo
p. 30. antiphlogiſtica accelerabatur. In angina epidemica maligna ſcarificationes partium gangraenoſarum vehementer nocent. Summa inter hunc morbum et luem bouillam, quae tunc temporis etiam in Anglia graſſabatur, ſimilitudo eſt, atque ipſe ARETAEVS, qui anginam hanc malignam iam deſcripſit, luem pecorum etiam praeceſſiſſe monet.

p. 38. Sequuntur varii caſus et obſeruationes ab amico quodam, qui chirurgi in naue bellica munere fungebatur, Auctori Cl. communicatae. Naturae vi partem maxillae inferioris, quae carie exeſa ſeceſſerat, reſtitutam vidit. Ex caſu ab alto obſeruauit ſe-
p. 41. ceſſum oſſis frontis ab oſſibus bregmatis, abſque oſſe temporum ad alterum eo in loco vidit Cl. Auctor, vbi futura coronalis antea fuerat. Aderat quoque depreſſio oſſis frontis variaeque fiſſurae in eo. Nihilominus tamen trepanatione facta et dura

matre ab vno oſſe temporum ad alterum diuiſa, aeger conualuit. Compreſſionem arteriae ſubclaviae in amputatione brachii, quae in articulo humeri cum ſcapula fit, ſupra clauiculam, in quo loco eam Cl. BROMFIELD etiam propoſuit, Cl. GOOCH quoque hic commendat, hariolatus inſtrumentum facile excogitari poſſe, quo haec arteriae compreſſio commodius fieri queat. Ligaturam arteriae in amputationibus eodem fere modo, quo Cl. BROMFIELD et ita quidem inſtituit, vt arteriam diſceſſam volſellae ope extraheret et filo circumdaret. p. 52.

Amicus Noſtri coſtam ferina tuſſi in aegro diffractam vidit, in quo vulnus quidem in oppoſito latere pectoris, ſed nulla cacochymiae venereae, ſcorbuticae vel ſcrophuloſae ſigna aderant. In lepra Cl. GOOCH ſolutionis mercurii ſublimati Swietenianae internum vſum vtiliſſimum vidit. Commendat quoque in ea vnguentum ex picis liquidae vncia vna ſemis, vnguenti e floribus ſambuci diſpenſatorii Londinenſis vnciis quatuor et lixiuii tartari vncia vna praeparatum, quod bis in die calida manu applicari partibus affectis iubet. Praeſtantiam methodi, quam Cl. GOOCH olim iam in iis fracturis oſſium complicatis commendauit, in quibus oſſa fiſſa et plura fragmenta adſunt, variae obſeruationes hic inſertae vlterius probant. Serrae vero ope oſſis partem laeſam totam eximit et reſtitutionem huius fragmenti naturae committit, qua ratione non membrum tantum ſeruatur, ſed et irritatio, quae a fragmentis oſſium pendet, impeditur. In haemorrhagia, quae in fractura oſſis complicata, ex arteria medullari fibulae oriebatur, neque omni cura adhibita ſiſti poterat, trepanum Noſter applicauit, eiusque ope partem oſſis ita exemit, vt arteria nunc oculo pateret et comprimi poſſet. p. 55. p. 61. p. 79. p. 83.

poſſet. Ita vero adhaerebat arteria oſſeo tubo, vt neque ſe retrahere neque claudere poſſet.

p. 86. Fracturam colli femoris Cl. Auctor deſcribit, in qua caput in acetabulo remanſerat, ac delineationem eius exhibet. Variae quoque adnotationes de vſu capſulae ad oſſa fracta a noſtro Auctore excogitatae, quam in obſeruationibus olim deſcripſit, hic adduntur. Singularem deinde ouarii morbum Cl.

p. 110. GOOCH deſcribit. Femina, quae iam per aliquot annos tumorem in ſiniſtro abdominis latere doloremque obtuſum ſenſerat, tandem grauida facta, quinto grauiditatis menſe ad Auctorem Cl. acceſſit. Conquerebatur de difficultate in vrinae excretione, ita vt nonnunquam cathetere opus eſſet: octauo tandem grauiditatis menſe liquor amnii ſponte effluebat, nulli vero ad partum dolores ſequebantur, febreque orta poſt aliquot dies periit. Sectione facta, vterus in ſiniſtro latere gangraenoſus et ouarium eiuſdem lateris magnitudine auctum, reperiebatur. Continebat vero illud materiam pultaceam membrana ſatis craſſa incluſam, in qua adipis quoque fruſtum, in eoque plurimi pili iique ſatis longi inueniebantur *).

Cuticulae manus ſpontanei ſeceſſus hiſtoria, quam Cl. Auctor in volumine tranſactionum quinquageſimo nono iam publicauit et de quo ſuo loco expoſui.

*) Plura ouariorum, in quibus pili reperti ſunt, exempla apud Auctores occurrunt. Nuper quoque ſimilis caſus in noſocomio Lipſienſi a Cl. BOSE et HEBENSTREIT obſeruatus eſt, in quo vero non ex pinguedine, ſed ex ipſa ouarii interna ſubſtantia, in qua radices pilorum incluſae erant, pili oriebantur et in cauitatem pultacea materia repletam excreſcebant. Conferantur quoque hic Aduerſ. medico practica Vol. III. p. 706. comm. noſtr. Vol. XX. p. 694.

expoſuimus *) etiam hic iterum inſerta eſt. Ex ictu intra quartam et quintam coſtam, quo pleura, muſculi intercoſtales et pulmones ipſi laedebantur, cute et coſtis illaeſis, ſummus emphyſematis vniuerſalis gradus cum maxima anxietate oriebatur. Inciſione loci laeſi facta aër magna vi erumpebat, quem aqua ſequebatur ſanguinolenta, cuius effluxu altero die inſigniter aucto, aeger tandem tertio die moriebatur. p. 118. p. 122.

In alio aegro poſt peripneumoniam diſpnoea remanebat, illeque ſaepe pus tuſſi reiiciebat, doloreque in quodam pectoris loco, cum ſenſu fluctuationis liquidi in pectoris cauitate, quoties tuſſiebat, moleſtabatur. Inciſione tandem eo in loco, vbi dolorem percipiebat facta, aër, nullum liquidum egrediebatur, dolorque et fluctuationis ſenſus poſtea euaneſcebant. Aliquot tamen menſibus praeterlapſis aeger phthiſicus periit. Similem caſum a Cl. HEWSON **) annotatum fuiſſe Cl. Auctoris eſt obſeruatio. Varias obſeruationes de tumoribus cyſticis inſignis magnitudinis a Cl. Auctore exſtirpatis omittimus. Strumoſi in collo tumoris ſeu bronchoceles exſtirpationem ſatis periculoſam et nonnunquam impoſſibilem eſſe, ob haemorrhagiam, quae in eiusmodi aegris oritur, et difficulter compeſci poteſt, variae obſeruationes hic relatae probant. Ligatura vaſorum nullam in hoc caſu opem tulit. p. 126.

*) Phil. Tranſact. Vol. LIX. p. 281. comm. Vol. XVIII. p. 281. Confer quoque Cl. LATHAM obſeruationes in hunc caſum. Phil. Tranſact. Vol. LX. p. 443. quarum epitomen in comm. noſtr. Vol. XX. p. 494. dedimus.

**) vid. Lond. Med Inquir. and Obſeruat. Vol. III. p. 372. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 151.

p. 138. Cum in abſceſſu ſinus maxillaris perforatio alueolorum, quoniam aeger iam diu omnes dentes amiſerat, non fieri poſſet, Cl. Auctor eam in exteriore latere oſſis malae inſtituit, ac iniectionibus et reliquis remediis in eiusmodi malo vtilibus adhibi-
p. 140. tis, aegrum breui reſtituit. Tumor in regione epigaſtrica poſt ictum in hunc locum acceptum ortus, atque per plures annos durans, tandem inflammatus ſponte rumpebatur ita, vt cibi ex eo ſub inſpiratione egrederentur. Aegro demortuo ſectio vlcus in ventriculum patuiſſe oſtendebat.

p. 146. Cancrum oris Cl. Auctor oriri vidit in femina, quae tubulum, per quem ſoror eius cancro oris et linguae affecta alimenta ſugendo aſſumebat, imprudenter in os ſumſerat. Maritus aegrae per oſcula eius eodem triſti malo affectus, variis artis auxiliis fruſtra tentatis tandem mortuus eſt. Auctor vero noſter vſu mercurii ſublimati corroſiui et decocti lignorum interno et externe ope collutionis oris cum melle et pauxillo ſublimati aegram ſanauit. An carcinoma hoc forte ex venerea cauſſa ortum fuit?

p. 150. Addit Cl. Auctor varias circa cancrum et curam eius in vniuerſum obſeruationes. Verum ſcirrhum non reſolui poſſe, ſed omne auxilium in exſtirpatione eius poſitum eſſe monet. Antequam vulnus clauditur, mercurii ſublimati vſus tentandus et fonticuli in vicinia vulneris excitandi ſunt. In cura vlceris cancroſi palliatiua, ſaturnina reliquis omnibus remediis praefert, cataplaſma tamen ex dauci radice nec
p. 171. non cicuta bonos ei praeſtiterunt effectus. In hydroceles cyſticae cura, cum ſtatus teſtis dubius eſſet, inciſionem cauſtico et ſetaceo praetulit Noſter, ac cum teſtem omnino morboſum eſſe inciſione facta cognoſceret, exſtirpationem eius ſtatim
p. 177. ſuſcepit. Maniacus clauum ferreum quinque pollices longum deglutitum poſt quatuordecim dies

lenio-

lenioris purgantis ope et nulla alia inſequente noxa per anum iterum reddidit. Vlcus in perinaeo oriebatur ex fragmento oſſis per laeſionem externam ſeparato et oſſe exemto facile ſanabatur. In eodem hoc aegro teſtis adhuc in inguine haerens cum nondum in ſcrotum deſcendiſſet, ab imprudente chirurgo pro ſcrophuloſo tumore habitus emplaſtris reſoluentibus fruſtra tentabatur, donec Cl. Auctor aduocatus mali veram cauſſam cognoſceret. In aegro ſexaginta annorum, pluribus lenioribus malis antea vexato, hepar, quod 28 librarum pondus habebat, Noſter reperit. Plures quoque in eo hydatides et ſaccus in conuexa eius ſuperficie aderat, qui duodecim aquae libras continebat. Lienis etiam magnitudo multum aucta ipſeque hydatidibus repletus erat. In alio aegro, qui diu iam calculoſus fuerat, abſceſſus in perinaeo et ex eo vlcus fiſtuloſum veſicae oriebatur. Tandem a chirurgo calculus in inteſtino recto detegebatur et ſphincter diſſecto feliciter extrahebatur, quo facto aeger intra duos menſes conualuit.

p. 179.

p. 181.

p. 184.

Caſum eſſerae a Cl. MOUNSEY in tranſactionibus medicis Collegii Medicorum Londinenſis communicatum *) Noſter iterum hic inſeruit. Sequitur conſilium medicum de aquarum Balaruccenſium vſu in aegro, vlcere et carie in lumbis affecto. Electricitas in malo iſchiadico, intempeſtiue adhibita, vlceris huius cauſſa fuerat. Aeger nephriticis doloribus obnoxius in mictum cruentum incidit, cum vomitu et diarrhoea, qui morbus omnibus remediis reſiſtebat, ita, vt aeger morti proximus eſſe videretur. Seruatus tamen eſt quatuor granis opii datis, quod euacuationes iſtas ſiſtebat. Hiſpani cuiuſdam, qui ſeptuageſimo tertio aetatis anno

p. 195.

p. 215.

p. 218.

*) Tom. II. n. XI. Comm. noſtr. Vol. XIX. p. 207.

moriebatur, ſed per omnem vitam nullum fere ſomnum capeſſerat hiſtoriam Noſter enarrat. Spaſmo-
p. 226. dicam affectionem ſingularem Cl. MOUNSEY hic enarrat, pluribus peculiaribus ſymptomatibus ſtipatam quam vſu infuſi radicis ſeneka vinoſi aliquo modo leuauit. Acutus in pollice dolor in hoc morbo aderat, qui adſcendens vehementiſſimos excitabat ſpaſmos: frictione aut percuſſione leni, in eo loco, vbi vltima vertebra colli cum prima dorſi coniungitur, tantum leuandus. Similia mala ex cauſa idiopathica in cerebro ſaepe oriri Cl. GOOCH variis obſeruationibus probat.

Ex vulnere forfice ſupra orbitam in puella facto, quod leuius in initio eſſe videbatur, aegra tandem in ſoporem delapſa, magna aquae limpidae copia effluxit, eoque effluxu per plures dies durante aegra reſtituta eſſe videbatur. Ex improviſo tamen conuulſionibus affligebatur, hinc inciſio in loco vulneris inſtituebatur, qua tamen nil praeternaturale detectum eſt. Clyſtere tandem adhibito conuulſiones ceſſabant et poſt aliquot dies puris copia e vulnere effluxit aegraque perfectam ſanita-
p. 258. tem acquiſiuit. Oſſium emollitionem non ab acidi exſuperantis in humoribus copia, ſed a defectu nutritionis oſſium pendere *) Cl. Auctor demonſtrat. In annexa tabula aenea inter alia cranium neonati, in quo tumor ex ſanguinis intra cranium et pericranium effuſione ortus fuerat **) delineatur.

VIII.

*) Similem opinionem iam Beat. LVDWIGIVS in diſſ. de laeſa oſſium nutritione propoſuit. v. Aduerſar. medic. practic. Vol. II. p. 442. v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 127.

**) Pertinet haec figura ad libri Auctoris de vulneribus pag. 323. Conf. comment. ſupplem. decad. II. pag. 596.

VIII.

Eſſays medical and experimental by THOMAS PERCIVAL M. D. F. R. S. The ſecond edition reuiſed and conſiderably enlarged, to which is added an appendix. London printed for Io. Iohnſon 1772. 8. p. 384.

i. e.

Diſſertationes et experimenta ex re medica. Editio altera reuiſa et multum aucta vna cum Appendice.

IX.

Eſſays medical and experimental on the following ſubiects; 1) On the Columbo Root; 2) on the Orchis Root, 3) on the waters of Buxton and Matlock in Derbyſhire, 4) on the medicinal uſes of fixed Air, 5) on the antiſeptic and ſweetening powers and on the varieties of factitious Air, 6) on the noxious vapours of Charcoal, 7) on the Atra Bilis, 8) on the Sea Salt, 9) on Coffee. To which are added ſelect hiſtories of diſeaſes, with remarks, and propoſals for eſtabliſhing more accurate and comprehenſiue bills of mortality. By T. PERCIVAL. London printed for Iohnſon 1773. 8. p. 252.

i. e.

Diſſertationes et experimenta ex re medica de obiectis ſequentibus; 1) De radice Columbo, 2) de radice Orchidis, 3) de aquis mineralibus Buxtonienſibus et Matlockienſi-

bus in comitatu Derbyenſi, 4) De vſu medico aëris fixi, 5) de vi antiſeptica et dulcificante aëris factitii eiusque variis ſpeciebus, 6) de noxa vaporum carbonum, 7) de atra bile, 8) de ſale marino, 9) de Coffea. Additae ſunt ſelectae morborum hiſtoriae cum annotationibus, nec non conſilium de modo indices mortuorum pleniores et accuratiores efficiendi. Auctore THOMA PERCIVAL M.D.

De priori editione primi voluminis harum diſſertationum iam alio loco dictum eſt*). Addita vero eſt commentariis, quorum epitomen tunc dedimus, diſſertatio de aqua, inprimis vero de *aqua puteali vrbis Mancheſter*, quae inter eas referri meretur, quae vulgo durae dicuntur. Diſſerit vero Cl. Auctor primo de aquae in corpus humanum efficacia in vniuerſum. Aquae, quae plures terreas particulas continent, calculorum in corpore humano geneſi ex eo fauent, quod haec aqua terrenis partibus iam abundans, illas terreſtres particulas, quae per vrinam euacuari debent, non ſuſcipi poſſit, quae ideo in corpore remanentes calculorum geneſi originem praebere poſſunt. Probat hoc Cl. Auctor variis exemplis aegrotorum calculo renum laborantium, in quibus ſola mutatio putei, cuius aquam bibebant, egregios effectus praeſtitit. Suadet hinc Cl. Auctor, vt in calculoſis affectionibus, loco vulgaris aquae, deſtillata potius adhibeatur atque experimento probat, aquam ſimplicem deſtillatam ſatis magnam portionem calculi humani diſſoluere poſſe. His in vniuerſum propoſitis Cl. Auctor ipſa experimenta enarrat, quae cum aqua diuerſorum puteorum inſtituit.

Vol. I. p. 263.

Probant

*) v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 596.

Probant vero ea aquam hanc magnam quantitatem ſeleniticae terrae, nec non aluminis copiam continere, de qua re paullo inferius adhuc dicendi erit locus. *Duriſſimae* quoque aquae molles et cum ſapone miſcibiles euadunt, ſi iis ſal Tartari additur. Tanta vero huius ſalis copia in Mancheſtrienſi aqua, ſi eam molliorem reddere velimus requiritur, vt ea peſſimum ſaporem acquirat, neque amplius communibus vitae vſibus inſeruiat. Coquendo aqua mollior fit, calor enim ſalinarum in aqua contentarum particularum decompoſitionem efficit ita, vt expulſo acido vitriolico vel muriatico, terra remaneat indiſſolubilis, quae fundum vaſis occupat. Per quartam vero partem horae ad minimum coctio durare debet, atque cum magna aëris copia coctione pereat et hinc aqua minus ſalutaris euadat, poſt coctionem aqua aliquot horas aëri libero exponi debet. Ad aquam molliorem reddendam commendat quoque Cl. Auctor filtri lapidis vſum, qui cum coctura vniri poteſt. Sola expoſitio aquae putealis Mancheſtrienſis in aëre libero, eam non emollit nullumque quoque effectum malti vel herbae theae admiſtio, vel fermentatio in hanc aquam habet, quod probat ſalubritatem cereuiſiae magna ex parte ab aquae qualitate pendere, ex qua parata eſt. Lateres aquam duriorem reddunt et aluminoſam, hinc in puteorum conſtructione non, vti vulgo fit, lateres adhibendi ſunt. Experimenta Cl. Auctoris non probarunt, plumbum in aqua aluminoſa diſſolui poſſe, licet acidum vitriolicum maiorem cum plumbo, quam cum baſi aluminis affinitatem habeat. Suſpicatur tamen Cl. Auctor praeſentiam plumbi non ſemper ope tincturae ſulphuris volatilis ſeu liquoris probatorii detegi poſſe, vti etiam adſtringens vegetabilium natura non in omnibus admiſtione vitrioli ferri, quod alias eos nigro colore imbuit,

imbuit, declaratur. Aquae molliores, inprimis vero deſtillata, adſtringentes et amaras vegetabilium partes, nec non reſinoſas, calcem, et ipſos humanos calculos, longe meliu• quam durior, ſoluunt. Contra ad tinctorios vſus duriores aquae magis aptae ſunt.

p. 288. Iam quod ad aluminis in aquis Mancheſtrienſibus praeſentiam attinet, eam Cl. Auctor potiſſimum ex eo probare vult, quod ea ſyrupum violarum viridi colore imbuat. Licet enim aquae quoque, quae alcali minerale continent, ſimilem effectum producant, tamen experimenta chemica cum hac aqua inſtituta nil alcalini in ea demonſtrarunt. Contra terra, quae aluminis baſin conſtituit, ſatis copioſe his aquis ineſt, additoque acido vitriolico verum alumen ex ea generatur.

p. 349. Hanc diſſertationem alia excipit, in qua *de noxa methodi infantes paullo poſt natiuitatem inoculandi*, quam, vti notum eſt, varii recentiores propoſuerunt, Cl. Auctor diſſerit, in qua Cl. MATY, qui primus hanc rem commendauit *), argumenta Noſter refellit. Pluribus morbis neonati obnoxii ſunt, neque numerus morborum, qui hanc aetatem infeſtant, morbo arte producto augendus eſt. Lac quoque matris metu et anxietate per inoculationem infantis ſui excitatis omnino mutari debet. Nutricum etiam lac per varia diaetae vitia, aut ex animi pathematibus, noxiam qualitatem acquirere et effectum inoculationis infelicem reddere poteſt, vti plura inprimis a MONROO enarrata exempla probant. Obſeruauit quoque Cl. DIMSDALE in infantibus, quibus arte variolae communicabantur, numerum puſtularum eo maiorem fuiſſe, quo iuniores infantes erant, quod a maiore eorum irritabilitate

*) Vide *London medical obſeruat. and Inquir.* T. III. p. 287. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 147.

te vel fluidorum copia pendere videtur. Plu-
quoque infantes, quam adulti, ante variolarum
ptionem moriuntur, qui etiam maioris eorum
tabilitatis effectus eſt. Reliqua Auctoris noſtri p. 361.
tra neonatorum inoculationem argumenta, de-
ta ſunt a periculo, quod puſtularum in ore eru-
in iis excitat: ab exanthematum in aetate in-
ili frequentia, craſſitie integumentorum et tan-
n a malo inoculationis in infantibus ſucceſſu,
n ex 58 infantibus, qui nondum ſecundum an-
n expleuerant, inoculatis, ſex, ex 220 vero, qui-
intra alterum et quintum aetatis annum vario-
inſertae fuerunt, tres tantum demortui ſint.
ic Cl. Auctor concludit inoculationem non ante
tium aetatis annum inſtituendam eſſe. Si vero
ſſae adſint, quae eam iam primo et ſecundo ae-
s anno neceſſariam reddunt, ea tamen non in
natis, vt Cl. MATY ſuadet, ſed in infante duorum
trium menſium fiat.

Vltimus huius voluminis commentarius *de effi-* p. 375.
ia remediorum externorum in gangraena maligna
lcerous ſorethroat) agit. Cum difficillimus ſit
infantibus internorum remediorum, a variis Au-
ribus in diro hoc malo commendatorum, appli-
io, remediis externis ſaepe ſolum inſiſtendum
. Suadet vero Cl. Auctor vt hoc in caſu em-
ſtrum v. c. e cumino, cui tertia pars emplaſtri
ficatorii et camphorae portio adiecta ſit nuchae,
eriori vero colli parti cataplaſma ex cortice
ruuiano et floribus chamomillae in aceto coctis,
etiam camphora additur, adhibeatur et quatuor
ris elapſis ſemper renouetur. Nonnunquam
eo cataplaſmatis pannum linteum ſpiritu vini
mphorato et aceto madefactum collo Noſter ap-
care iubet. Praeterea quouis die tria vel qua-
tuor

tuor pediluuia ex cortice Peruuiano et floribus chamomillaein aceto et aqua coctis, aut si ob summam aegroti debilitatem hoc fieri nequit, panni hoc decocto imbuti pedibus applicari debent. Repleatur quoque aër conclauis aceti et aromatum antisepticorum vaporibus. Ex internis remediis emeticorum in initio morbi vsum, Cl. Auctor multum commendat. In vniuersum monet gangraenam malignam non localem affectionem, sed vniuersalem morbum esse. Acida mineralia egregii in hoc morbo vsus sunt. Inprimis vero Cl. Auctor spiritum nitri dulcem laudat, quem in infuso rosarum rubrarum, cui vini portio addita est, adhibere solet.

Vol. II. Accedimus iam ad alterum horum tentaminum volumen, in quo sequentes commentarii continentur.

p. 3. *Experimenta et obseruationes de radice Columbo.* Putat Cl. Auctor huius radicis a GAVBIO *) commendatae a nullo alio scriptore mentionem fieri. Interim a Cl. MVRRAY **) iam annotatum est, eam a RHEDI in libro inferius citato ***) sub nomine *radicis Columbae*, vt potentissimum alexipharmacum commendatam esse. Habitat haec planta proprie in Asiae continente terra, ex qua in regionem vrbi *Columbo* in Insula Ceilon vicinam illata, iam ab hoc loco per totam Indiam distribuitur. Ab incolis harum regionum diu iam in variis ventriculi et

*) Aduers. med. p. 82. conf. comm. Vol. XVIII. p. 475. conf. quoque Cl. CARTHEVSER diss. *de radice Columbo*. Francof. ad Viadr. 1773. et in Diss. physico chymicis ibid. 1775. p. 136.

**) *Medicinisch practische Bibliothek* Vol. I. p. 76.

***) Experimenta circa varias res naturales p. 142.

et inteſtinorum affectionibus puluis eius in vino adhibetur.

In Europam in taleolis vnum, duos vel tres pollices longis, aut in fruſtulis, quae duorum vel trium pollicum longitudinem habent, adfertur. Cortice tegitur rugoſo, ſatis craſſo, coloris exterius obſcure brunnei, interius vero flaui. Medulla dulcior eſt cortice ſeu lignoſa radicis parte. Taleoli craſſiores perforati ſunt, quo in exſiccatione filis ſuſpendi poſſent. Odor aromaticus, ſapor vero valde amarus et paullulum acrioris ſinapi, ſi per aetatem iam olei ſui eſſentialis partem amiſerit, ſimilis. Laudatur vero vt egregium roborans, ſedatiuum, antiſepticum et antiemeticum remedium. In cholera a drachma ſemis ad duas drachmas omni trihorio vel quadrihorio data, nullo etiam euacuantium vſu praegreſſo, vtiliſſimam ſe exhibuit. Licet nullam vel paruam tantum in ea adſtringentem vim Cl. Auctor detexit, tamen ſaepe ſalutares ab eius vſu effectus in diarrhoea ac dyſenteria vidit. Ea iam in primo horum morborum ſtadio ſine vlla noxa porrigitur, in quo adſtringentia aliena ſunt, cum vi ſua antiſpaſmodica irregularem actionem primarum viarum corrigat. Longe tamen praeſtantior eſt in fine horum morborum, vbi vim ſuam tonicam et analepticam exſerit. Prodeſt quoque in vomitu, qui bilioſam colicam comitatur, in quo morbo praemiſſa parua ipecacuanhae doſi Cl. Auctor infuſum radicis columbae adhibet, quod non modo, vt florum chamomillae infuſum, emetici actionem promouet, ſed et ſpaſmos impedit, qui ſaepe in corporibus valde irritabilibus et bilioſis vſu leniſſimi emetici excitantur. In febribus bilioſis quoque hanc radicem Noſter ad grana quindecim vel ſcrupulum vnum, cum anatica tartari vitriolati portione omni trihorio dedit, qua

methodo

methodo non ſolum vtilis diarrhoea excitatur, ſed et ſimul putrida primarum viarum ſaburra corrigitur. Si aluus in hac febre ſatis libera eſt, infuſum huius radicis cum elexirio vitrioli dulci detur. Praeferendus eſt in hoc caſu eius vſus cortici Peruuiano, qui, ſi etiam vera iam adſit intermiſſio, tamen ſemper calorem febrilem auget et linguam ſicciorem reddit. Suadet quoque Cl. Auctor, vt experimenta cum hac radice in febre flaua Americana (*yellow fever*) inſtituantur, in qua vomitus bilioſi aegrum maxime excruciant.

p. 11. Saepe Cl. PERCIVAL vim huius radicis in ea cholera expertus eſt, quae infantibus dentitionis tempore accidit, in qua ſymptomata haud raro ſtatim poſt eius vſum ſedantur. Ad corrigendam vero acidam primarum viarum ſaburram, eam in hoc caſu cum magneſia commiſcet. In ventriculi languore et dyſpepſia vel in ſubſtantia, vel cum aromate commiſta, vel in infuſo vinoſo exhibita, vtiliſſima eſt. Si bilis vitium adſit ex bile bouilla et puluere radicis Columbae pillulas Cl. PERCIVAL formari iubet. In omni vomitu habituali, qui ex debilitate et irritabilitate ventriculi, arthritide, acida vel bilioſa ſaburra etc. procedit, vſus huius radicis aliis remediis roborantibus, carminatiuis, antacidis cet. pro varia indicatione admiſtis, commendandus eſt, qui etiam vomitum ex calculo renali ortum ſaepe ad tempus leuat. In grauidarum tandem vomitu, venaeſectione inprimis praemiſſa et aluo libera reddita, egregios effectus praeſtat.

p. 14. His praemiſſis Cl. Auctor varios enarrat caſus, qui efficaciam huius remedii vlterius probant, tandemque varia experimenta addit, quae cum hac

p. 19. radice inſtituit. Probant ea menſtruum ſpirituoſum partes efficaces, quae in hac radice continentur magis quam aquam, vinum cet. extrahere.

Extra-

Extractum ſpirituoſum quoque in morbis efficaciſſimum eſt. Sapor radicis Columbae, addito cortice aurantiorum, egregie emendatur. Carnis putredinem minus, quam cortex Peruuianus, impedit, bilis vero putridam corruptionem ex inſtanti corrigit, ac ciborum quoque fermentationem retardat. Hinc cauſa vtilitatis eius in cholera ac debili digeſtione patet. Pulſus celeritas ab vſu huius radicis non augetur, quod oſtendit, eam ſine noxa in phthiſi et hectica febre quoque adhiberi poſſe. Praeferenda eſt in hoc morbo cortici Peruuiano, qui nonnunquam ventriculum moleſtat et diarrhoeam excitat. Inprimis lacte ſimul adhibito vtiliſſima eſt, cum flatuum et acidi generationem impediat.

De praeparatione, cultura et vſu radicis Orchidis p. 37. ſ. *Salep.* Ex *orchide maſcula* LINN. non ſolum, ſed et ex *latifolia* EIVSD. *Salab* methodo, a Cl. RETZIO in Commentariis Academiae Suecicae a. 1764 *) et Cl. MOVLT **) deſcripta, praeparari poteſt. Commendat vero Cl. Auctor hanc radicem, vt optimum nutrimentum, inprimis ad nautarum vſum, eamque oryzae multum praefert, quae putredini minus reſiſtit. Quod vero virtutem eius medicam attinet, ea, ob vim ſuam nutrientem, roborantem, mucilaginoſam et acrimoniam humorum corrigentem, in variis morbis vtiliſſima eſt. Inprimis in ſcorbuto, qui nautas infeſtat, acrimoniam humorum corrigit, ſimulque bonus omnisque acrimoniae expers chylus ex ea praeparatur. Egregios quoque in diarrhoea et dyſenteria effectus praeſtat, cum internam inteſtinorum tunicam muco obducat eamque contra acrimoniam defendat, irritationem impediat et putredini reſiſtat. In febre ſymptomatica, quae ex pure

*) v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 137.

**) Philoſoph. Tranſact. Vol. LIX. p. 690. comm. noſtr. Vol. XX. p. 480.

pure vlceris pulmonum, vel alius vulneris aut vlceris reſorpto oritur, reſolutionem ſanguinis impedit. Laudanda quoque eſt ob mucilaginoſam ſuam indolem in calculo, ſtranguria et dyſuria, inprimis in venerea, ſi vlcera colli veſicae et vrethrae adſint.

p. 53. *Experimenta cum aquis Buxtonianis et Matlockianis in Comitatu Derbyenſi.* In prioribus thermis aqua ad gradum 82 thermometri Fahrenheitiani et in poſteriore ad 68 adſcendit. Pulſum celeriorem reddit internus eius vſus. Cum ſatis magna aëris fixi copia aquis Buxtonianis inſit, eae ferrum additum cito ſoluunt, qua re efficacia eorum multum augetur. Poſſet ſimile forte experimentum cum aliis quoque thermis, quae paruam ferri copiam continent, tentari. Aquae Matlockianae cum Briſtolienſibus multum conueniunt; Buxtonianae calcream terram, alcali minerale et ſal muriaticum; Matlockianae vero ſeleniticam terram et pauxillum ſalis muriatici continent.

p. 73. *De vſu medico aëris fixi.* Iam alio loco a nobis annotatum eſt, aërem e corporibus, quibus antea inhaerebat, euolutum, quem nunc vulgo *aërem fixum* nominare ſolent, ad vſus medicos quoque adhiberi *). Confirmatur medicata eius aëris vis per obſeruationes a Cl. Auctore hic communicatas. Vidit enim ille aërem fixum in ſatis magna copia, ſine vllo damno aut incommodo inſpirari poſſe. In thermis Bathenſibus aër, qui aëre hoc multum repletus eſt, et ab iis, qui his balneis vtuntur, inhalatur, nulla mala ſymptomata producit. Hac obſeruatione excitatus Noſter pluribus phthiſicis inſpirationem vaporis ex miſtura cretae cum aceto adſcendentis commendauit, idque optimo cum effectu. In nonnullis enim hectica febris multum imminuta et materia purulenta tuſſi reiecta magis cocta appare-

*) vid. ſup. p. 89 ſeqq. p. 124.

apparebat, imo foetidus odor imminuebatur. Radicalem tamen curam ipſe nunquam hac methodo praeſtitit quod tamen ab alio medico Cl. WITHERING factum eſt. In vlceribus foetidis, imo cancro ipſo vapor ſupra commemoratus, vt palliatiuum remedium cum fructu adhibetur, cum dolores leuet, et pus emendet, plenariam vero curam nunquam Noſter in cancro obtinuit. Forte tamen aër nitroſus, i. e. aër ex metallis omnibus et ſemimetallis, excepto zinco, acidi nitri ſolutione extricatus, qui per experimenta Cl. PRIESTLEY ſummam vim antiſepticam habet, plus quoque in hoc diro malo praeſtaret. In febribus putridis inhalatio aëris fixi, potus liquorum hoc aëre inpraegnatorum et clyſmata ex hoc aëre parata vtiliſſima ſunt. In ſcorbuto quoque et aliis morbis, in quibus ſumma humorum reſolutio adeſt, aëris fixi et infuſi e malto vſus egregios effectus praeſtat.

Additae ſunt huic commentario variae obſervationes *de vi antiſeptica aëris factitii eiuſque varietatibus.* Confirmat Noſter putredinem ab aëre fixo retardari et Cl. MACBRIDE ſententiam contra obiectiones, a Cl. ALEXANDRO prolatas *), defendit. Quod vero modum attinet, quo hoc aër ille praeſtat, fatendum eſt eum maxime adhuc obſcurum eſſe. An vt menſtruum in putrida effluuia agit, eaque imbibit, vel e putreſcente corpore extricat? An, vti Noſtro arridet, egreſſum aëris e corpore putreſcente, ſeu earum particularum ſeceſſum impedit, quarum ſeparatio eſſentialem partem proceſſus putrefactionis conſtituit. Aër exſpiratione e pulmonibus egrediens et in phialam aqua deſtillata et ferro repletam admiſſus, aliquam ferri ſolutionem praeſtitit. Idem quoque ab aëre e putrida bile extricato factum eſt. Solutiones ferri in aqua variis p. 81.

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 22.

ſpeciebus aëris fixi praegnante praeſtitae, ſi infuſum gallarum iis admiſcetur, colore differunt, quod eas ſpecie, vel vti nos putamus, gradu, maioreque aut minore copia ferri ſoluti, differre oſtendit. Plura alia ſimilia experimenta Noſter addit, quibus varias ſpecies factitii aëris in qualitatibus et effectibus ſuis variare Noſter probare conatur.

p. 90. Inprimis monet fixum aërem metallorum ſpecie diuerſum eſſe ab eo, qui in alcalinis ſalibus et terris calcareis continetur. Hinc ſalia illa et calx, dum reductionem calcis metallicae praeſtant, non aërem calcinatione deperditum reſtituunt, ſed hoc magis ab igne pendet. Forte alcalia et terrae calcareae, vt *fluxus* adhibitae, actionem ſuam praeſtant abſorbendo eam materiam, quae ſubſtantiis metallicis in calcinatione additur pondusque eorum inſigniter auget.

p. 92. *De noxiis vaporibus carbonum*, variae obſeruationes, a Cl. DOBSON communicatae, hic inſeruntur. Caſum enarrat viri hoc vapore pene ſuffocati, et ex ſymptomatibus in eo obſeruatis probat, illum vaporem non in pulmones, ſed in cerebrum et ſyſtema neruoſum vim ſuam deleteriam exercere. Adnexae ſunt plures aliae ſimiles hiſtoriae et obſervationes, quae oſtendunt, vaporem mephiticum ex ſpeluncis variis, cet. adſcendentem, eadem ratione agere, qua vaporem carbonum.

p. 110. *De atra bile.* Deiectiones nigras, quas veteres *Atram bilem* vocabant, non, vt nonnulli recentiorum putant, a ſanguine in cauum inteſtinorum effuſo et ibidem, per aliquod tempus, commorato ac putrefacto oriri, Noſter probat. Putat potius bilem eſſe, quae ſtagnatione in veſicula fellea acrior et abſorptione particularum fluidiſſimarum ſpiſſior facta ſit. Haec, ſi in duodenum euacuatur, ſummas turbas excitat, quae non aliter ſedantur, quam eua-

euacuatione eius facta. Probat hoc Cl. Auctor variis obſeruationibus. In dentitione infantum difficile, febrilia ſymptomata ſaepe euacuatione piceae eiusmodi materiae leuantur. Idem quoque hoc in aſthmate acuto ſeu catarrho ſuffocatiuo aliquoties Noſter vidit. Vtrum vero in hoc caſu atra bilis cauſſa, an effectus morbi ſit, determinare non audet. Cauſſam tamen eſſe, ei probabilius videtur.

De qualitate ſeptica ſalis marini, ſalis amari cathartici et magneſiae. Experimenta Cl. Auctoris probant ſalem culinarem vulgarem ad ſcrupulum ſemis adhibitum putrefactionem promouere: ſalem amarum, in eadem doſi, maiorem vim ſepticam adhuc oſtendere: ſalem vero marinum, eoque magis adhuc ſalem mirabilem GLAVBERI, putrefactioni reſiſtere. Septica et antiſeptica ſalium virtus, in hac quantitate euidenter a diuerſo puritatis eorum gradu pendet. Interim ſal marinum et amarum, licet putrefactionem accelerent, tamen progreſſum quoque eius vltra certum aliquem terminum plane impediunt. Atque haec quidem qualitas diaetetici vſus ſalis marini vtilitatem magis adhuc demonſtrat. Copia ſalis amari, quae in aqua marina reperitur, atque a qua amarities eius pendet, cauſſa eſt, quae efficit, vt illa humores nimis diſſoluat et hinc variis grauiſſimis morbis anſam det. Magneſia alba cum acido in primis viis contento commiſta, excrementa inſigniter foetida reddit. Docet hoc magneſiam et ſalem amarum in morbis, qui ad putridos accedunt, cum cautione tantum adhibenda eſſe. Calcinationem magneſiae albae Edinburgenſis Cl. Auctor multum commendat: aëre enim fixo, hac ratione diſſipato, ea in primis viis flatus nullos producit, qualitatem vero purgantem et abſorbentem conſeruat. Cautio vero habeatur, ne ea, admiſta forte terra calcarea, cauſtica nimis in calcinatione fiat. p. 113.

p. 122. *De Coffea.* Coffeam chemice examinauit Noſter atque experimentis hic enarratis oſtendit, eam paullulum adſtringentem et antiſepticam eſſe, fermentationem alimentorum moderare, ac ſedatiuam ſeu narcoticam vim habere. Actio eius in ſyſtema neruoſum pendere videtur ab oleo, in coffea contento. In toſtione enim fabarum, odorem et ſaporem coffea peculiarem acquirit et paullulum empyreumatica fit.

p. 138. *In ſelectis morborum hiſtoriis*, quae ſequuntur, de variis morbis eorumque medela exponit Noſter. Primo caſum deglutitionis difficilioris ab affectione ſpaſmodica oeſophagi enarrat, cuius ſedes in inferiore parte huius tubi erat *).

p. 156. Enarrantur deinde variae *obſeruationes de hydrope.* Feminam tumore hydropico ouarii et hydrope ascite laborantem, vomitu ſpontaneo magnaque aquae copia reiecta, Noſter curatam vidit. Suadet hinc, vt ſub initio huius morbi, ſi ſcilicet exiſtentia eius cognoſci poſſit, emetica exhibeantur, cum ea in hoc morbo reſorptionem aquae eodem modo praeſtare poſſint, vti hoc in hydrope articulorum per emetica mercurialia v. c. turpethum minerale nonnunquam fieri ſolet. Virgo aſcitica, in qua iam aliquoties per paracenteſin aqua educta fuerat, tandem huius operationis pertaeſa, a medico internum remedium expetiit. Praeſcripſit illi aegrotae iulapium aliquod e camphora, quod per quatuordecim dies ea in doſi ſumſit, vt quotidie drachmam vnam camphorae conſumeret. Hinc hydropicus tumor plane diſparuit. Tandem vero ex aegra magna puris copia per aluum ſeceſſit, eaque maraſmo obiit. Sectio cadaueris tumores ouarii ſteatomatoſos et ſaccum hydropicum purulenta aqua repletum, oſtendebat. Tertia

*) Inſertus eſt hic caſus alteri volumini Tranſactionum medicarum a Collegio Medico Londinenſi publicatarum (*Medical Tranſactions*) p. 90. vid. comm. Vol. XVII. p. 202.

Tertia obſeruatione Cl. Auctor exponit, *de hydrope pulmonum*, in quo aqua in ipſis cellulis huius viſceris ſtagnat. Morbi huius, non adeo rarioris, ſigna valde obſcura ſunt, et cum ſignis hydropis pectoris confundi facile poſſunt. Interim in hydrope pulmonum reſpirationis difficultas ſemper durat, neque ſitu corporis mutato, vti in hydrope pectoris fit, augetur vel minuitur. Nunquam plenaria inſpiratio fieri poteſt, ſed ea ſubito interrumpitur. Pulſus paruus et debilis eſt, faciesque ac totum corpus leucophlegmatico tumore turgent. Quod curam huius morbi attinet, ſtatim purgans mercuriale fortius dari debet, atque veſicatoria pedibus applicanda ſunt. Praeterea vero diuretica, diaphoretica et expectorantia adhibeantur. Multum laudat Cl. Auctor radicis Senegae in hoc morbo vſum, quae ſaepe omnes has euacuationes ſimul excitat. Quodſi vero omnia haec remedia nihil praeſtent, ſuadet Auctor, vt paracenteſis thoracis fiat, ac vulnus ipſi pulmonum ſubſtantiae infligatur, quo aquae emitti poſſint. Hanc operationem neque adeo dolorificam, neque periculoſam eſſe Cl. Auctor putat, cum vulnera pulmonum vt plurimum curationem admittant, neque e vulnere pulmonum, inciſione facta, aër in cauum pectoris egrediatur. Sanguis enim in cellulas effuſus et inflammatio inde producta, egreſſum aëris et emphyſematis ortum impediunt. Si vero contuſione ſuperficies pulmonum laeſa ſit vel dilacerata, quod v. c. in fractura coſtarum ſaepe fit, emphyſematicus tumor producitur. p. 172.

In paralyſi a fumo plumbi producta electricitatis applicationem vtiliſſimam Noſter eſſe vidit. Monet tamen huius remedii vſum, inprimis ſi ſucceſſus eo excitati nimis magni ſint, valde noxium p. 181.

eſſe. Plures minores ſaepiuſque repetiti ſuccuſſus
p. 194. praeferendi ſunt validioribus. In *colica* pertinaci vſum aluminis, a Cl. GRASHUYS in egregio ſuo libello *de colica pictonum* commendatum, Noſter ſuis obſeruationibus confirmat. Cum enim inter indicationes, quibus cura huius morbi abſoluitur, monente iam Cl. GRASHUYS, etiam ea ſit, vt partes affectae, quantum fieri poſſit, in integrum reſtituantur, roborantia et adſtringentia omnino neceſſaria ſunt. Haud raro Cl. GRASHUYS et PERCIVAL viderunt, morbum anodynis et demulcentibus magna copia et ſatis diu aſſumptis vinci non potuiſſe, roborantibus vero fortioribus non calidis adhibitis, inuincibilem, vt videbatur, hoſtem feliciter profligatum fuiſſe. Ad ſcrupulum ſemis vel vnum Noſter alumen cum anatica ſacchari portione, aut gummi Arabico, vel etiam, ſi carminatiua calida neceſſaria eſſent, cum philonii Diſp. Lond. ſcrupulo ſemis dedit, eamque doſin tribus vel quatuor horis elapſis ſecunda vel tertia vice repetit. Secunda vel tertia doſis fere ſemper dolorem leuat vel tollit. Credit Cl. Auctor praeter tonicam aluminis vim, a qua cura potiſſimum pendet, neruos quoque inteſtinorum ab eo minus ſenſibiles reddi.

p. 202. Sequuntur variae *de vſu balneorum tepidorum* in variis morbis obſeruationes, quod remedium in Gallia et apud nos frequenter, ac cum ſummo fructu adhibetur, ab Anglicis vero medicis, qui balneis frigidis magis fauent, in morbis ſpaſticis et vbi ſolida nimis
p. 220. tenſa ſunt, plus iuſto negligi videtur. *Paralyſin* ſaepe a viſceris cuiusdam vitio oriri, Cl. Auctor aegrorum hiſtoriis confirmat. Vidit eam a grauiditate et ſpaſmis
p. 224. vterinis inde ortis productam fuiſſe. Tuſſilaginis vſum in hectica, diarrhoea colliquatiua cet. multum laudat.

laudat. Maiores doſes opii, licet iam per aliquod tempus datae fuerint, tamen ſubita in neruis et non determinanda mutatione facta, ſubitaneae mortis cauſſa fiunt. Semen aliquod ex India Orientali allatum, quod *Aiava* ibidem vocant; in colica flatulenta p. 226. vtiliſſimum eſt. Acidorum vegetabilium vſus nimis p. 229. diu continuatus ſanguinis cohaeſionem deſtruit, eumque ita reſoluit, vt plures grauiores morbi inde oriantur, Vltima obſeruatio clyſterum ex aëre p. 235. fixo paratorum vſum in morbis putridis, ſuperius a Noſtro iam laudatum, magis adhuc confirmat.

Finem huius voluminis facit breuis diſſertatio, p. 239. in qua Cl. Auctor *methodum* proponit, qua indices *mortuarii vrbis* Mancheſter *accuratiores fieri et emendari poſſint.*

X.

Mémoires de Mathematique et de Phyſique préſentées à l'Academie Royale des ſciences par diuers Sçauans & lus dans ſes Aſſemblées. Tome ſixieme, à Paris de l'Inprimerie Royale. 1774. 4. 3 Alph. pl. 13. Tab. aen. 17.

h. e.

Commentarii mathematico phyſici academiae regiae ſcientiarum Pariſinae per varios eruditos oblati et in eius conuentibus praelecti. Tomus VI.

In ſexto hoc Volumine ſequentes commentarii continentur.

1. Cl. MAZEAS *obſeruationes de formatione ſtalactitis in* Cliuo Cinnae *ſeu monte* Mario *haud procul ab vrbe Roma ſito.* Licet ſtalalactitis for- p. 1.

matio quaſi ſub noſtris oculis fiat, tamen, vt in omnibus naturae operibus, ita et in hoc plurima adhuc obſcura ſunt. Cl. Auctor ſtalactitem, qui in dicto monte multis petrificatis referto naſcitur, ſollicite examinauit, putatque eum ex terra calcarea cum terra vitreſcibili et acido aliquo coniuncta conſtare. Terrae vero illae ſecundum eius opinionem ex petrefactis conchyliis, in monte Mario reperiundis originem ducunt, cum ex iis, aqua ſolutis, ſtalactites denuo formetur.

p. 17. 2. *Eclipſis Lunae obſeruata* Viennae a I. LIEBGANIG 1766. d. 24 Febr.

p. 19. 36. 3. Cl. DU TOVR *Commentarius* II *de diffractione luminis cum appendice.*

p. 43. 4. *Obſeruatio tranſitus Veneris per diſcum ſolis* d. 6. Iun. 1761. Rotomagii *facta* a Cl. BOVIN et DVLAQVE.

p. 45. 5. *Obſeruatio de cryſtalliſatione ſalium mediorum, quorum baſis alcali fixum vel terra abſorbens eſt* a Cl. BAUMÉ. Cl. ROVELLE in commentariis Academiae Scientiarum *) propoſuit, tartarum vitriolatum et plura ſalia metallica ſe ita cryſtalliſare poſſe, vt acidum non perfecte ſaturatum ſit, ſed adhuc in iis ſuperflua adſit eiuſdem portio. Hoc Cl. BAUMÉ negat, defendens ſolis *mediis mechanicis* v. c. dum ſal ſuper chartam bibulam vel arenam collocatur, acidum exſuperans ſeparari poſſe. Hinc lis inter illum et Cl. ROVELLE orta eſt, quae pluribus experimentis hic fuſius enarratis occaſionem dedit.

6. *Loci*

*) Mém. de l. Acad. des ſciences 1754. p. 223. Comm. noſtr. Vol. IX. pag. 395.

6. *Loci planetarum* anno 1758. Rotomagii *obſeruati* a Cl. BOVIN et DVLAQVE. p. 48.

7. Cl. DE JOVBERT *Commentarius de teſtaceo ad Terebratulae genus pertinente.* Notum eſt, Anomias ſ. Terebratulas, quae tanta in copia petrefactae reperiuntur, demum ante aliquot annos viuas, inprimis in mari mediterraneo inuentas eſſe. Cl. Auctor eiuſmodi teſtacea, madreporis adhaerentia, ex mari mediterraneo obtinuit et animal teſtam inhabitans ſollicite deſcribit. Cum hoc etiam a variis aliis recentioribus factum ſit *), monemus tantum, linguam ſeu partem, quam per foramen teſtae animal protrudit et qua aliis corporibus adhaeret, egregie a Noſtro depingi. p. 77.

8. *Obſeruatio eclipſis Solis* d. 16 Aug. 1765. a Cl. DAPRES DE MANNEVILLETTE. p. 81.

9. *Commentarius de nonnullis teſtaceis in mari mediterraneo nuper detectis*, auctore Cl. DE JOVBERT. Fere eadem, quae commentarius ſuperior (n. 7.) continet. Egregie de modo, quo diuerſa teſtacea aliis corporibus adhaerent, exponit. Alia, teſta ipſa lapidibus cohaerent, vt oſtreae; alia biualuia inprimis, quorum teſtae exacte clauſae ſunt, inſtrumento ancorae ſimili ſe corporibus vicinis adfigunt. Solenes et alia partem, quae palum fere refert, in arenam dimittunt. Biualuia, quorum teſtae male tantum clauduntur, filis ſericeis ſeu byſſina barba (vt pinna) vicinis corporibus adhaerent. Anomia vero linguam habet, quae pilis breuioribus veſtita eſt. p. 83.

10. Cl.

*) v. Cl. GRÜNDLER in diario germanico *der Naturforſcher* T. II. p. 80. Tab. 3. nec non Cl. PENNANT et LINNE in Nou. Act. Vpſal. T. I. p. 38. vid. Comm. noſtr. Vol. hoc pag. 191.

p. 92. 10. Cl. MESSIER *de cometa* a. 1766. *viſo, diuerſo ab eo, qui ante vnum menſem in ſigno piſcium detectus fuerat.*

p. 94. 11. Cl. DE COSSIGNY *de methodo aquam dulcem in itineribus longis maritimis conſeruandi.* Ex conſilio Cl. HALES ſpiritum ſulphuris aquae Noſter admiſcuit viditque eo aquam optime conſeruari, atque inprimis inſectorum in aqua generationem impediri. Paucae guttae magnam aquae quantitatem vi ſua imbuunt. Dubitat adhuc Cl. Auctor: vtrum vſus eiusmodi aquae diaetetieus ſanitati noxius ſit, an innoxius? Fumigatio doliorum ſulphuris ope, quae vulgo fit in nauibus, antequam dolia aqua repleantur, nullum vſum praeſtat.

p. 110. 12. *Obſeruatio aurorae borealis Lutetiae Pariſorum* d. 21 et 22 Maii 1761. a Cl. MESSIER facta.

p 113. 13. Cl. GERARD *Obſeruatio de variis ſpeciebus generis* Caucalidis. Diuerſas ſpecies, quae Caucalidis genus conſtituunt, Noſter accuratius deſcribere et ſynonyma Auctorum rectius diſponere contendit. Omnes vero huius ſpecies vel inuolucrum vniuerſale habent, vel eo carent. Inter eas, quibus *inuolucrum vniuerſale nullum* eſt, primo numerantur:

1) Caucalis inuolucro vniuerſali nullo, vmbella trifida, inuolucellis triphyllis: Caucalis dauci ſyluestris folio echinato, magno fructu MAGNOLII: Echinophora tertia leptophyllon, purpurea COLVMNAE, quae a LINNAEO ad *Caucalidem platycarpon* refertur.

2) Caucalis inuolucro vniuerſali nullo, vmbella bifida, inuolucellis pentaphyllis. ſ. C. aruenſis echinata, paruo flore et fructu C. B. et Lappula Canaria flore minore ſ. tenuifolia I. B. quam plantam in campis

campis Galliae meridionalis ſatis vulgarem Noſter accurate deſcribit.

Ad eas caucalidis ſpecies, *quae inuolucri habent*, a Noſtro ſequentes referuntur.

3) Caucalis petalis exterioribus inuolucellis longioribus maximis ſ. *Caucalis grandiflora* LINN.

4) Caucalis vmbella conferta, petalis exterioribus maioribus, longitudine inuolucelli: C. monſpeliaca echinato magno fructu C. B. Echinophora altera aſperior platycarpos COL. quae ad *C. daucoidem* LINN. forte pertinet.

5) Caucalis inuolucro vniuerſali diphyllo partialibus pentaphyllis ſ. C. pumila maritima C. B. C. maritima CLVS. Lappula Canaria ſiue C. maritima I. B.

6) Caucalis vmbella vniuerſali trifida, partialibus quinquefidis, fructiferis, foliis pinnatis, foliolis ſerratis ſ. *Tordylium latifolium* LINN.

Omnibus his ſpeciebus deſcriptis, Cl. Auctor cauſſas mutationis enarrat, quae ab eo in nomenclatura harum plantarum facta eſt. In vniuerſum monet, involucra non vt characteres generum et ordinum vmbellatarum inſeruire poſſe. Non enim fructificationis partes ſunt, ſummaque in iis varietas, inter ſpecies ad vnum genus pertinentes, obſeruatur.

14. 15. *Obſeruationes tranſitus Veneris per diſcum ſolis* d. 6 Iun. 1761. *in variis Galliae vrbibus factae* a Cl. BOVILLET DE MANSE, et OVTHIER. p. 124. et 133.

16. *Commentarius de aqua minerali ſulphurea, nuper in valle* Montmorenci *prope* Lutetiam Pariſiorum *detecta*, Auctore Reu. COTTE. Iam alio loco relatum eſt, ex lacu prope *Montmorenci* ſito, riuulum prodire, cuius aqua foetida ſit et ſulphur redoleat p. 135.

redolcat *) Cl. Auctor, qui vt iuuentor huius aquae conſiderari meretur, hic docet ipſam aquam riuuli ſulphureae indolis eſſe et variis forte vſibus medicis adhiberi poſſe.

p. 147. 17. *Obſeruationes de diuerſo gradu caloris diuerſorum fontium aquarum mineralium* Vicus Aquenſis (Bagnères). Auctore Cl. D'ARQVIER. Gradus caloris valde in iis differt. Ad 41 gradus thermometri Reaumuriani in vno adſcendit.

p. 157. 18. *Oppoſitio Iouis* obſeruata a. 1760. ab EODEM.

p. 159. 19. *Obſeruationes circa grauitatem et calorem variorum fontium thermarum vrbis* Bagnères, Auctore Cl. MARCORELLE. Situm fontium, quorum ad triginta ſeptem ibidem numerantur, diuerſasque earum proprietates Cl. Auctor fuſius deſcribit. A Romanis iam nomine *aquarum auguſtarum* ſiue *tarbellicarum* aut *oneſionarum* indicantur. Enarratis experimentis cum aërometro et thermometro inſtitutis, Cl. Auctor tabulam adiicit, in qua gradus caloris omnium thermarum, quae in Gallia reperiuntur, indicatur.

p. 176. 20. *Obſeruatio eclipſ. lunae* d. 8 Maii 1762. Auctore Cl. OVTHIER.

p. 177. 21. *Commentarius de organo auditus piſcium*, Auctore Cl. P. CAMPER, Iam alio loco **) varios commentarios indicauimus, quibus Cl. Auctor in Actis

*) Hiſt. de l'Acad. des Scienc. 1766. p. 38. Comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 65.

**) v. not. p. 459.

Actis Societatis Harlemenſis *) illud piſcium organum deſcribit, quod eorum auditui a multis plane negato inſeruit. In vniuerſum Cl. Auctor monet, nullam fere eſſe organi auditus in homine, in quo perfectiſſimum illud reperitur, partem, quae non in aliquo animalium ordine deficiat. Sic enim v. c. incus in plurimis auibus deſideratur, in quibus malleus cum ſtapede, ligamentorum tantum ope, coniungitur. In amphibiis reptilibus, vt crocodilo, teſtudine, rana cet. malleus et incus non inueniuntur, ſed ſtapes aut oſſiculum eius locum tenens membranae tympani affigitur. In piſcibus tandem ſumma varietas ſtructurae huius organi occurrit. In cetaceis v. c. illud humano ſimile fere eſt. Habent enim membranam tympani, malleum, ſed immobilem, incudem et ſtapedem, ac conchan ſatis magnam, ſed canales ſemicirculares, veſtibulum et feneſtra rotunda deficiunt. Multi apterygii, acanthopterygii et branchioſtegi ARTEDI in vna eademque cranii cauitate cerebellum et organon auditus habent. In chondropterygiis tandem WILLOUGHBEII et ex parte ARTEDI, inprimis piſcibus cartilagineis planis, vt Raia cet. organon auditus capſulae peculiari cartalaginoſae et a cranio ſeparatae incluſum eſt. In Cyclopteris tamen et Acipenſere, vt in acanthopterygiis et branchioſtegis, illud conformatum eſt.

His in vniuerſum propoſitis Cl. Auctor p. 179. anatomen cerebri et cerebelli piſcium ac inprimis neruos eorum deſcribit, qui numero et diſtributione cum neruis humani corporis magnam

*) Tractationem de organo auditus piſcium ſquamoſorum vide in Act. Harlemenſ. Vol. VII. P. I. p. 79. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 581. Ea vero, qua organon Phyſeteris macrocephali, qui ex Cetaceorum claſſe eſt, deſcribitur Vol. IX. P. III. p. 193. inſerta eſt. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 460.

gnam analogiam habent. Sic enim v. c. par ſeptimum ad auditus organon, octauum ad cor et branchias, nonum ad muſculos linguae tendit. Auditus piſcium ſecundae claſſis aquae ope, in quo ſono motus tremulus excitatur, qui cranio eorum et per illud organo auditus intra cranium ſito communicatur, fit. Deſcribit vero hic Cl. Auctor potiſſimum encephalon et auditus organon ex *Gado egleſino* et G. *morrhua* LINN. quibus deſcriptionem earundem partium ex *Lophio* ſeu *rana piſcatrice* addit. Habet haec praeter capſulam oſſeam tres canales ſemicirculares et burſam cartilagineam atque elaſticam, quae oſſicula continet, ac ſupra quam neruus auditorius expanditur. Porro fabrica organi auditus enarratur, qualis ea in *Lucio*, qui *Eſox* ARTEDI eſt, occurrit. In hoc piſce nerui optici manifeſto decuſſantur. Tandem Raiae caput deſcribitur, qui piſcis palpebrae ſpeciem habet. Oculi bulbus in eo, et probabiliter in omnibus piſcibus ſimilibus, triangularis fere eſt et poſterius mediante aliquo tubere cum cartilagine quadam excauata articulatur. In hoc piſce etiam organon auditus immediate ſub cranio ſitum eſt. Oſſicula vero auditus mollia et gelatinae ſpiſſiori quaſi ſimilia ſunt.

p. 196. In fine monet Cl. Auctor, organon auditus, ſi cetacea, quae vera amphibia ſunt excipias, in omnibus piſcibus conuenire. Omnes enim tres canales ſemicirculares cartilagineos, nec non burſam elaſticam habent, quae vnum vel duo oſſicula continet, valde mobilia et in gelatina plus minusue ſpiſſa, libere natantia. Omnes audiunt motu aquae, motui aëris, quem nos ſonum vocamus, analogo. Cum vero ſonus in ſonos aëreos et aqueos commode diuidi poſſint, etiam organon auditus eorum animalium, quae per aquam audiunt, ab organo

anima-

animalium per aërem audientium differre debet, nec tympani membrana, meatus auditorius et auris externa in iis neceſſaria ſunt.

22. Cl. BOSCOWICH Diſſ. I. *de orbitis cometarum determinandis ope trium obſeruationum, parum a ſe inuicem remotarum.* p. 198.

23. Cl. BRAS D'OR *de morbo canum epidemico.* p. 216. Morbum canum epidemicum Noſter deſcribit, in quo ſaniei et muci foetidi effluxus e naribus, paralyſis extremitatum poſteriorum et aliqua ſigna inflammationis viſcerum reperiebantur. In multis (non vero in omnibus) canibus diſſectis Cl. Auctor vermes, ſeu vti nobis videtur, laruas plane ſingularis atque nondum deſcriptae formae in labyrintho narium reperit, quas vti morbi cauſſam conſiderat. Magnitudine valde differunt. Vnus vermis trium pollicum longitudinem oſtendit. Planiuſculi ſunt et multis annulis interſectum corpus habent. Fumigationes et leniora purgantia, quibus mucus acris deglutitus euacuatur, optimum effectum praeſtiterunt.

24. *Obſeruatio eclipſis ſolis* d. 5 Aug. 1766. *in urbe* Béſiers *facta.* p. 228.

25. *Experimenta circa decompoſitionem tartari vitriolati ope ſolius acidi nitroſi*, auctore Cl. BAVMÉ. p. 231. Vti nitrum adfuſo oleo vitrioli decomponitur, ita ſi ſolutioni tartari vitriolati acidum nitri adfunditur, ex Noſtri obſeruatione acidum vitrioli a debiliore acido expellitur et nitrum formatur. Quodſi vero liquor per aliquod tempus ſeruatur, acidum vitriolicum nitroſum, atque idem hoc iterum ſucceſſu temporis vitriolicum expellit, eaque alterna muta-

tio et expulſio acidorum tam diu durat, vſque dum omnis nitri ſpiritus plane diſſipatus ſit. Ad haec experimenta liber aëris acceſſus requiritur. Cl. Auctor phaenomenon hic recenſitum ex affinitate acidi nitroſi cum eo phlogiſto explicat, quod in alcalinis ſalibus reperitur.

p. 237. 26. *Obſeruatio et calculus oppoſitionis Saturni* a. 1763. Auctore Cl. D' ANTELMY.

p. 240. 27. Cl. D' ARQVIER *obſeruatio cometae* d. 16 Aprilis 1759, *viſi.*

ibid. 28. Cl. GAVLTIER *obſeruatio eclipſis ſolis* d. 13 Iun. 1760.

p. 241. 29. Cl. DU TOUR *commentarius, quo demonſtratur in viſione punctum viſibile apparere in radio et eo puncto ad oculum ducto.* Cl. Auctor diſputat contra Ill. D' ALAMBERTVM, qui opuſculorum tomo primo aliud principium optices propoſuerat, demonſtratque nouum illud D' ALAMBERTI, ſi recte intelligas a priori non differre.

p. 253. 30. Cl. BOVIN *de aurora boreali* Rotomagii d. 16 Sept. 1759, *obſeruata.*

p. 257. 31. *Obſeruatio et determinatio oppoſitionis Iouis* a. 1763, Auctore Cl. D' ANTELMY.

p. 259. 32. *Analyſis aquarum mineralium prope* Saint Remy - l' Honoré, Auctore Cl. MARIGVES. Ferrugineae hae aquae ſunt, earumque qualitas medica hic cum virtute aliarum ſimilium aquarum comparatur, quae in Gallia reperiuntur.

33. *Noua*

33. *Noua theoria macularum ſolarium* Auctore Cl. PEZENAS. p. 318.

34. *Occultatio ſtellae f. gemellorum per lunam obſeruata* a Cl. BOVIN. p. 223.

35. *Commentarius de modo mercurium cum ferro vniendi et in aqua ſine auxilio alicuius acidi ſolubilem reddendi; vna cum cogitationibus de effectibus horum praeparatorum in diuerſis morbis*, Auctore Cl. NAVIER. Mercurium et ferrum in minimas moleculas diuiſa et in variis acidis ſoluta inter ſe Noſter vnit, eaque ratione vel praecipitata ferrugineo mercurialia, vel ſal album, niueum ſplendens, ſali ſedatiuo colore, figura cet. analogum obtinuit, quod tum ferrum, tum mercurium continet. Mercurium quoque hunc in hepate ſulphuris ſoluit, et ita non ſolum liquorem aquae miſcibilem, ſed et ſubſtantiam obtinet, minerali aethiopi analogam, in aqua ſolubilem, quod vtrumque praeparatum mercurium, nullum vero acidum continet. Horum quoque praeparatorum vim medicam in tumoribus ſcrophuloſis et morbis cutaneis inueteratis Noſter expertus eſt, in quibus morbis magis adhuc quam in lue venerea, vſus mercurii liquoribus noſtris miſcibilis et omni acrimonia deſtituti requiritur. Laudat quoque aethiopis mercurialis vſum in carcinomaticis et ſcirrhoſis tumoribus, nec non contra vermes. Si accenditur odorem phoſphoro analogum ſpargit, flammaque album oſtendit colorem. p. 325.

36. Cl. GOLDOVER *obſeruationes variarum* ſatellitum *emerſionum et immerſionum Iouis a.* 1759, in Bauaria *factae.* p. 351.

p. 352. 37. *Obſeruatio tranſitus Veneris ſuper diſcum ſolis* a. 1761, *in* Luſitania a Cl. DE ALMEIDA facta.

p. 353. 38. Cl. DE LA PLACE *de ſeriebus recurro-recurrentibus et earum vſu in theoria caſuum fortuitorum* (theorie des hazards).

p. 372. 39. Cl. BOSC D' ANTIC *obſeruationes de vaſis murrhinis vilioribus* (ſur la Fayance). Modum, quo vaſa haec fabricantur, deſcribit diuerſaque quae in hac re obſeruantur, phaenomena ex principiis chemicis explicat.

p. 383. 40. *Obſeruatio cometae* menſe Maii 1759, *viſi* Rothomagi, *facta* a Cl. BOVIN.

p. 397. 41. *Obſeruatio oppoſitionis Iouis* d. 3 et 6 Iunii 1758, Auctore EODEM.

p. 400. 42. Cl. BOVRRAND *commentarius de quadratura partis cuiuſdam circuli.*

p. 401. 43. Cl. BOSCOWICH *diſſertatio ſecunda de orbitis cometarum determinandis.*

p. 435. 44. Cl. LIBOVX *obſeruatio tranſitus Veneris per diſcum ſolis* d. 6 Iun. 1761.

p. 436. 45. *Obſeruationes aſtronomicae circa lunam factae*, Auctore Cl. D' ARQVIER.

p. 457. 46. *Obſeruatio eclipſis lunae* d. 18 Maii 1761, Auctore EODEM.

p. 459. 47. 48. *Obſeruatio eiuſdem eclipſis*, Auctoribus et 463. Cll. BOVIN et BOSCOWICH.

49. *Obſer-*

49. *Obſeruatio eclipſis ſolis* d. 1 Apr. 1764, Auctore Cl. FORLIN. p. 464.

50. Cl. ANTHEAVLME, *obſeruationes de ratione fabricandi et poliendi lentes obiectiuas tuborum opticorum.* p. 465.

51. *Commentarius de ſtrabiſmo,* Auctore Cl. DU TOUR. Cl. Auctor, continuat ea, quae de nonnullis viſus phaenomenis diſputauerat, quaeque alibi *) relata ſunt. Strabonibus putat plerisque alterius oculi retinam contigiſſe irritabiliorem, cui luminis vehementior appulſus dolorem afferret. Quo factum iam in incunabulis, vt, dum validiore oculo aliquid intuerentur, debilioris axin in eam partem inflecterent, quae obiecto quodam obſtaculo, v. c. naſo aut pariete, oculum a lumine defenderet. Hac perpetua conſuetudine muſculos oculum mouentes eam contraxiſſe facultatem, vt per omnem vitam axes oculorum ſub eodem angulo erga ſe inuicem inclinentur. Strabones vnius tantum obiecti imaginem percipere inde explicat, quod infirmior oculus a teneris veluti neglectus, retinam ſemper iuſto vel remotiorem, vel propinquiorem lenti cryſtallinae retineat, quod exemplo hominis confirmatur, qui, cum e vehementi capitis ictu ſtrabiſmum contraxiſſet, ab initio duas ſemper imagines vidit. Strabiſmi remedium, vſu etiam comprobatum commemorat, ſi validior oculus per longum temporis interuallum claudatur. Interdum et naturam ſua ſponte huic morbo mederi, cum adultiori aetate debilior oculus lumini ferendo ſenſim aſſueſcat. Ill. Comes de BVFFON ſtrabiſmum e diuerſa vtriusque oculi praeſtantia oriri dixerat: p. 470.

*) v. comm. noſtr. Vol. X. p. 406. et Vol. XII. p. 199.

dixerat: Noſter vero inuerſo ordine hanc potius e ſtrabiſmo prouenire putat, quoniam neglecto tenerioris oculi vſu, eiuſdem muſculi contrahendi ſeſe et extendendi facultatem amittant, quae tamen facile poſſit, contentione quadam virium, clauſo per breue tempus altero oculo, recuperari. Tandem nouum et priore praeſtantius ſtrabiſmi remedium affert, nimirum, vt ſtrabo validiorem oculum intendat in obiectum obſcuri coloris, ſplendenti parieti affixum, vt quorſum tandem alter oculus ſpectet, non poſſet tamen lucem vehementius reflexam effugere. Angulo ad naſum ſpeculum metallicum applicatur, vt ab ea etiam parte lumen in oculos penetret. Pueris ſtrabonibus libros, quos legunt, caeruleo vitro tectos, menſae ſplendente mappa ſtratae imponi iubet.

p. 479. 52. *Obſeruationes aſtronomicae* a. 1763, *factae* a Cl. D' ARQVIER.

p. 508. 53. *Deſcriptio phalaenae, quae caput erucae habet*, auctore Cl. OT. FRID. MÜLLER. Phalaenam Noſter reperit, cuius caput antennis deſtitutum erucae capiti ſimillimum erat. Ipſam phalaenam, niſi vehementer fallimur in Supplemento iconum Roeſelianarum a KLEEMANNO publicato depictam vidimus. Suſpicamur, vti ſaepe erucis in exuuiarum depoſitione accidit, ita etiam hic capitis inuolucrum in transmutatione animal deponere non potuiſſe, vnde monſtroſa fabrica orta eſt.

p. 512. 54. *Obſeruatio eclipſis lunae* Rotomagi d. 22 Nou. 1760, *facta* a Cl. DVLAQVE.

p. 516. 55. *Obſeruatio eclipſis lunae* d. 8 Maii 1761, ibidem *facta* a Cl. BOVIN.

56. *Ob-*

56. *Obſeruationes meteorologicae* Pekin *in* China a Reu. AMIOT *ab initio anni* 1757, *vſque ad finem anni* 1762, *inſtitutae.* Aëris temperiem Pekini, licet haec vrbs propius ad aequatorem ſita ſit, tamen hyeme maiorem frigoris gradum habere, quam Lutetiis Pariſiorum obſeruatur, hae obſeruationes probant. Magna aquae copia pluuia quotannis ibi decidit, ita vt frequentes inundationes oriantur. Ex ſummo calore aeſtiuo a. 1743, plures ſubito mortui fuerunt. p. 519.

57. *Obſeruationes variae anatomicae a* Cl. MARCORELLE *communicatae.* Iuuenis quidam in puteum delapſus ibidem 19 dies ſine vllo cibo pauca tantum aquae copia pota vixit, et extractus ſenſim priſtinum vigorem recuperauit. Homo quidam tympanitide chronica per omnem vitam affectus, quae a nutricibus flatibus vehementer moleſtatis forte originem duxerat, emollientibus et anodynis multum quidem leuabatur; ſed tandem, diaeta neglecta et empiricis remediis adhibitis, moriebatur. Sectione cadaueris facta, non in inteſtinis ſolum, ſed in ipſa quoque abdominis cauitate aër elaſticus repertus eſt. Inteſtina craſſa maxime diſtenta, magnam faecum copiam continebant. In fractura brachii complicata fragmentum oſſis extracti a natura reſtitutum eſt. Deglutitionem difficilem ex cartilaginea oeſophagi anguſtia, ſupra cardiam orta, Noſter oriri vidit. In alio cadauere duos vreteres in dextro latere obſeruauit. p. 612.

58. Cl. DE BORMES *inuenta cirta aetherem acidi ſalis, mediante zinco, parati.* Solutionem florum zinci in acido ſalis Noſter parat, adeo concentratam, vt aureum colorem et, ſi refrigeratur, conſiſtentiam butyri acquirat. Hanc ſolutionem p. 613.

deinde cum ſpiritu vini combinat, deſtillationeque ſecundum artis regulas facta, aetherem ſalis obtinet. Notum eſt alios hunc aetherem ope ſpiritus fumantis LIBAVII paraſſe, qui ſolutio concentrata ſtanni eſt, ope acidi ſalis facta. Ex duodecim libris ſpiritus vini duas libras aetheris et quatuor vncias olei ſalis dulcis Cl. DE BORMES obtinuit. Putat Noſter ſi, loco ſpiritus vini, vrina putrida aut ſpiritus vrinae adhibeatur, phoſphorum facillimo negotio et magna in copia praeparari poſſe.

p. 621. 59. Cl. DE LA PLACE *commentarius de probabilitate cauſſarum ex euentu diiudicanda.*

XI.

Théorie nouuelle ſur les maladies cancereuſes & autre Affections du même genre, avec des obſeruations - pratiques ſur les effets de leur remede approprié. Par I. M. GAMET. à Paris chez Rualt. 8. mai. T. I. conténant la théorie 1772. pag. 304. Seconde Partie conténant les obſeruations pratiques. Ibid. eod. pag. 320.

h. e.

Theoria noua morborum carcinomaticorum, neruoſorum et aliarum affectionum eiusdem generis, vna cum obſeruationibus practicis circa affectus remedii illis appropriati. Auctore I. M. GAMET. T. I. theoriam T. II. practicas obſeruationes continet.

Cum remedium, quod Cl. Auctor hoc libro commendat et cuius efficaciam inſigni teſtimoniorum et obſeruationum numero confirmat, arcanum

num adhuc ſit, de theoria tantum, quam primo huius libri volumine Noſter proponit, aliqua monuiſſe ſufficiat.

Sanguinem, vt fontem omnium fluidorum corporis humani conſiderat. Ex his fluidis ſolida componuntur et in regulari eorum motu ſanitas conſiſtit. Fluidum nerueum optima pars humorum corporis ſeu eorum quaſi quinteſſentia eſt, atque in cerebro praeparatum, per neruos in omnes partes corporis humani diſtribuitur. Conſtat illud ex aqua ſubtiliſſima, materia luminis, particulis ſalinis volatilibus, aëre et terra. Ab hoc fluido nerueo non ſolum ſenſus et motus pendent, ſed illud quoque verus ſuccus nutritius corporis humani eſt, cuius ſuperfluae partes in telam celluloſam adipis ſub ſpecie deponuntur. Illud vero variis cauſſis fuſius hic enarratis morboſam indolem acquirere poteſt. Proxima cauſſa morborum hyſtericorum et hypochondriacorum ex Auctoris noſtri mente, praeternaturalis ſeu morboſus ſtatus eſt, fluidi illius, qui potiſſimum a defectu particularum aquoſarum in eo pendet, vnde acres et calidae partes fluidi neruei neruos nimis irritant, vt quaſi exſiccentur. Hinc totum corpus tandem male afficitur atque in omnibus eius partibus calor praeternaturalis, irritatio, debilitas, obſtructiones cet. oriuntur.

Tom. I. p. 1. p. 18. p. 92. p. 122.

Cl. Auctor ſententias eorum, qui melancholiam aliis cauſſis tribuunt, examinat. Inter omnes SYDENHAMVS, qui illam ab ataxia ſpirituum deriuat et Cl. POMME, qui ab induratione et ſiccitate neruorum morbos illorum deriuant, veritati proxime accedunt. Fuſius Noſter diuerſa, quae in melancholicis obſervantur phaenomena, ex hac ſua hypotheſi explicat atque ſibi perſuadet, arcanum ſuum remedium, quod humores ſpiſſos reſoluat, eorum acrimoniam miti-

p. 130. p. 196.

gando depuret, vaſaque ſimul roboret, plenarium eiusmodi aegrorum curationem efficere poſſe.

p. 203. Procedit deinde Cl. Auctor ad originem tumorum, inprimis vero eorum, qui ex deprauatione fluidi neruei originem ducunt. Tumores, qui in ſano de reliquo corpore, vel ſolum ex cauſſa externa, vel ex cauſſa interna quidem, ſed ita oriuntur, vt topici ſint et maneant, benigni eſſe ſolent, vti maligni ii omnes, qui cum deprauatione fluidi
p. 256. neruei coniuncti ſunt. Huc inprimis ſcrophuloſi, atrabilarii et carcinomatici tumores pertinent. Materia, quae ſcrophuloſos tumores producit, lympha eſt ſingulari aliqua acrimonia inſpiſſata, eaque ſedem ſuam in glandulis, nonnunquam in articulationibus, inprimis vero in meſenterio habet. Saepe, cum hac ſcrophuloſa cacochymia, venerea coniuncta eſt, interim tamen non vnum idemque ſunt, licet multi ſcrophuloſos morbos ex venereis ortos primum eſſe putent. Scrophuloſi enim morbi iam ante illud tempus cogniti erant, quo venerea lues in Europam allata eſt, atque mercurius, qui optimum acrimoniae venereae antidotum eſt, contra ſcrophuloſos morbos magnum auxilium affert. Summam e contrario ſcrophuloſa cacochymia cum carcinomatica analogiam habet, ita, vt, ii, qui in iuuentute ſcrophuloſi fuerint, in ſenectute facile carcinomaticis tumoribus obnoxii ſint, nec minus remedia, quae in cancro proſunt, in ſcrophuloſis morbis etiam vtilia reperiantur.

p. 265. Iam, quod ſcirrhum attinet, is ex Auctoris noſtri mente in omnibus mollioribus corporis partibus oritur, omnesque corporis humores eius materia eſſe poſſunt. Ipſa rubra ſanguinis pars induratur et ſcirrhi materia fit, quod Cl. Auctor contra Ill.
p. 268. ASTRVC probare tentat atque concludit, tot ſcirrhi varieta-

varietates eſſe, quot humorum ſpecies in corpore reperiuntur. Quo longius humor, ex quo ſcirrhus formatur, a primis viis remotus eſt, eo difficilius ſcirrhus reſoluitur. Scirrhi, qui ex lacte, chylo, ſanguine, lympha cet. proueniunt per omnem vitam, benigni manere poſſunt. Acrimonia humorum non correcta, topica omnia nocent, neque ipſa ſcirrhi exſtirpatio vſum affert, cum materia ad alium locum deferatur.

Idem hoc de cancro valet, qui nunquam topicus morbus eſt, et cuius exſtirpatio ex Noſtri mente rariſſime bene ſuccedit. Putat enim in iis exemplis felicis curationis cancri per ferrum factae, quae vulgo adducuntur, verum cancrum non adfuiſſe, ſed vlcus. Cancer fere nunquam ex cauſſa externa atque tunc demum oritur, quando vulnere male curato ab ichore reſorpto tota humorum maſſa iam infecta eſt. Omnium vero morborum hactenus recenſitorum maligna natura vnice ſedem ſuam in fluido nerueo habet. Omnes inter ſe ſummam analogiam habent, facileque vna in alteram tranſire poteſt. p. 280. p. 289.

In altero volumine huius libri Cl. Auctor arcanum ſuum remedium extollit, aſſeritque illo curationem cancri illorumque ei affinium morborum feliciter praeſtari. Vt plurimum leni diaphoreſi operatur, vel aluum leniter ſubducit, raro vomitum aut nauſeam excitat. Scirrhos intra tres vel quatuor menſes, malum hypochondriacum intra ſex, cancrum intra annum ſe eo curari poſſe Noſter gloriatur. Additus eſt magnus teſtimoniorum et hiſtoriarum morbi numerus, quibus praeſtantia huius remedii extollitur, vſusque eius in cancro, vlceribus malignis, ſcirrhis, morbis neruoſis cet. confirmatur. T. II. p. 1. p. 25.

XII.

XII.

Chirurgiſche Wahrnehmungen von IOHANN LEBRECHT SCHMVCKER, *Königlich-Preuſſiſchen Erſten General-Chirurgus von der Armee, Director der Chirurgiſchen militariſchen Feld-Hoſpitäler und Mitglied der Römiſch-Kayſerlichen Academie der Naturforſcher. Erſter Theil. Von Verletzungen und Krankheiten des Haupts. Berlin und Stettin bey Friedrich Nicolai.* 1774. 8. p. 574. — *Zweiter Theil. Von Verwundungen und Krankheiten der Bruſt, des Unterleibes und übrigen Gliedmaßen* ibid. eod. p. 576.

h. e.

Obſeruationes chirurgicae. Auctore IOANNE LEBRECHT SCHMVCKER chirurgo exercitus Regis Boruſſiae primario. Pars prima de vulneribus et morbis capitis. Pars ſecunda de morbis pectoris abdominis et extremitatum.

Opus, quod nunc indicamus, omnino inter praeſtantiſſima ſcripta chirurgica noſtri aeui referri meretur, atque de doctrina, dexteritate et experientia Cl. ſui Auctoris egregie teſtatur. Fructus eſt longi artis ſuae exercitii, in quo Cl. SCHMVCKER ita verſatus eſt, vt ampliſſimam, quam nactus eſt, obſeruationes inſtituendi occaſionem ad augmentum ſcientiae et artis ſuae nequaquam praetermitteret; ſed omnia, quatenus illud in tanto negotiorum grauiſſimorum numero fieri poſſet, ſedulo annotaret. Ex inſigni obſeruationum, quae ſeſe ei per tot annos in caſtris et noſocomiis tranſactos offerebant, numero aliquas ſelectas hic communicat, eaque re certe omnium, quibus artis medicae et chirurgicae augmentum curae cordique eſt, ſummos applauſus meruit.

In

In praefatione huic libro praemiſſa Cl. Auctor iure gloriatur, chirurgiae adeo antea in Germania noſtra neglectae, iam multo, quam olim meliorem ſtatum eſſe. Recenſet quoque ſtudia ſua et labores per plures annos ſuſceptos. Inter LE DRANII diſcipulos fuit, eiusque amicitiae et inſtitutioni ſe multum debere, gratus agnoſcit. Tom. I. Praef. p. 30.

Maxima pars obſeruationum, quae primum huius libri volumen conſtituunt, ad capitis laeſiones pertinet, quarum diagnoſis, prognoſis et curatio, vti omnes chirurgi conqueruntur, ſummis difficultatibus coniuncta eſt. Hinc Cl. Auctor occaſionem, quam ei obſidio Schweidnizenſis a Regis Boruſſiae exercitu anno huius ſeculi ſexageſimo ſecundo facta, offerebat, ſedulo et auide arripuit, atque in peculiari noſocomio capitis laeſionibus tantum dicato, in eas cauſſas omni ſtudio inquiſiuit, quae efficerent, vt vulneribus capitis ſclopetariis leuioribus viſis nullisque malis ſub initio ſymptomatibus ſtipatis, mors ſaepe ſuperueniret. Duodecim autem recenſet obſeruationes, in quibus aegri poſt leue tale vulnus, quo vel oſſa calvariae tantum denudata vel leniter laeſa erant, licet per plures dies ſe ſatis bene haberent, tamen quarto, ſexto, octauo, decimo demum die cephalalgia, vertigineque corripiebantur, quibus ſummae virium proſtratio, febris, diarrhoea, ſiccitas vulneris exterioris, paralyſis, aliaque eiusmodi ſymptomata, ſe citius vel ocyus iungebant. Trepanatione facta nulla, vt plurimum, praeternaturalis ſub cranio aut in dura matre cauſſa detegebatur et tamen aegri omnibus remediis fruſtra adhibitis delirio, vel comate, aut apoplexia affecti moriebantur. Sectio vero facta pus in pia matre effuſum, aut gelatinam, aut bullas materia albumini ſimili plenas, aut lympham ſemipuru- Tom. I. p. 1.

mipurulentam ibidem, cerebrum vero ipſum ſaepius illaeſum Noſter reperit.

p. 144. Oritur vero talis ſiniſter vulnerum in initio leviorum viorum euentus, ex Auctoris Cl. mente, ex vitio potiſſimum tunicae arachnoideae, pluribus vaſis lymphaticis refertae. Contuſio et commotio a globulo inducta, effuſionem et ſtagnationem lymphae efficiunt, quae in corporibus cachecticis et debilitatis, qualia militum in longo bello et fine anni in campis peracti eſſe ſolent, difficulter reſorberi poteſt, ſed in pus mutatur aut in ichorem reſoluitur. Haec conſideratio Cl. Auctorem permouit, vt de remedio vaſa conſtringente, lympham attenuante eiusque reſorptionem promouente cogitaret, quale in aqua frigida tandem reperiit, cuius quadraginta libris, quatuor libras aceti, ſedecim vncias nitri et octo vncias ſalis ammoniaci addidit. Fomenta ſcilicet ex ea, praegreſſa venaeſectione et dilatatione vulneris etiam leuiſſimi viſi facta, adhibere iuſſit, interno nitri ſalium, mediorum, clyſmatum ſtimulantium, ac purgantium vſu non neglecto. Vſus vero eſt his fomentis in omnibus, grauioribus quoque capitis laeſionibus imo poſt trepanationem, illudque eo cum effectu, vt longe pauciores vulnerati nunc morirentur, atque inprimis, ea leuiora capitis vulnera, de quibus ſuperius diximus, optimum exitum haberent.

p. 158. Laudat quoque epithematum et fomentorum frigidorum efficaciam in validis cerebri concuſſionibus cum nulla exteriore integumentorum vel cranii laeſione coniunctis, ſi cum venaeſectionibus crebrioribus et clyſmatibus ſtimulantibus coniungerentur. Hirudinum ad tempora applicatio quoque ſaepius optimum effectum habuit, pluribusque obſeruationibus, quas enarrare hic nimis longum foret, methodi huius efficaciam in plurimis grauiſſi-

grauiſſimis capitis laeſionibus probat. Originem abſceſſuum in hepate, qui ſaepe iis accidunt, quorum caput vulnere laeſum eſt, ex hypotheſi Cl. BERTRANDI *) optime explicare poſſe concludit. Aſſerit enim ille, vti notum eſt, congeſtionem ſanguinis in caput et ſtagnationem eius in ramis venae cauae ſuperioris, quae in eiusmodi aegris fit, inflammationis in hepate oriundae cauſſam eſſe. Noſter vero in pluribus eiusmodi aegris ſtagnationem ſanguinis et polypoſas concretiones in ſinubus encephali, nec non initia inflammationis hepatis obſeruauit. p. 159.

Quae ſequuntur obſeruationes ad alias capitis laeſiones pertinent, extra obſidionem Schweidnizenſem inſtitutas. Fracturam oſſis bregmatis ſiniſtri, globo tormenti bellici maioris, trium librarum pondus habente factam, feliciter ſanauit. In alio, vbi os bregmatis dextrum gladio diſciſſum erat, et qui ſpaſmo vehementi cynico laborabat, duplici trepanatione facta et abſceſſu ſub muſculo temporali ſito, diſciſſione huius muſculi euacuato, etiam vulnus felicem exitum habuit. p. 258. p. 258. p. 279.

Varia quoque, exempla recenſet, vbi poſt vulnus ſclopetarium trepanatio in oſſe frontis optimo cum ſucceſſu facta eſt. Si etiam dura mater ſana ſit eaque nulla laeſionis ſigna oſtendat, tamen ſaepe grauior ſub ea cauſſa in cerebro latet. Cum enim ſatis cito coaleſcat, ſub ea integra viſa, tamen Cll. Auctor oſſea fragmenta minora cerebrum irritantia detexit. Egregie Cl. Auctor de variis adminiculis exponit, quibus globuli minores cranio infixi, p. 285. et 297. p 309. p. 320.

*) vid. Mém. de l' Acad. de Chir. T. III. pag. 484. comm. noſtr. Vol. VIII. pag. 218. it. comm. noſtr. decad. IIdae S. IV. pag. 668.

fixi, extrahi poſſint exponit, diuerſasque methodos, quibus in hoc caſu vſus eſt tradit.

p. 324. Alius quoque vulnerati caſum recenſet, tetano maxillae inferioris laborantis, in quo quatuor vicibus trepanationem inſtituit, purique ſub temporali muſculo haerenti, muſculo hoc diſciſſo, exitum parauit, quo facto ſpaſmus ſtatim ceſſauit. Vulnera
p. 335. cranii acutiore enſe facta, longe feliciorem exitum
et 343. habere ſolent iis, quae ope obtuſi inſtrumenti
p. 361. illata ſunt. Vulnus capitis, in quo pars ſubſtantiae cerebri corticalis enſe reſecta erat, tamen feliciter ſanabatur. Plures alias obſeruationes ſingularium
p. 393. capitis laeſionum omittimus. Globum tormenti minoris iuxta caput vulnerati tranſientem, ſummam concuſſionem ſine vlla externa laeſione producere poſſe, Noſter aliquoties vidit.

p. 399. In hoc et aliis eiusmodi encephali concuſſionibus Cl. Auctor optimo cum effectu emeticis, poſt venaeſectionem vſus eſt. Maxima vero doſi ea in hoc caſu propinanda ſunt, cum 24 grana tartari emetici et ſcrupulus vnus ipecacuanhae aliquod tantum deiectiones aluinas produxerint. In carie oſſis
p. 420. frontis, cum aeger trepani applicationem recuſaret, butyro antimonii ſenſim os corruptum corro-
p. 434. ſum atque extractum eſt. Cephalaea grauiſſima in oſſe bregmatis ſiniſtro, trepanatione huius loci facta, licet nulla praeternaturalis cauſſa in ea detegeretur, tamen poſtea euanuit.

p. 447. Singularis caſus enarratur fungi in dura matre orti, qui duram matrem ita depreſſerat, vt encephali
p. 474. vlcus adeſſe videretur, licet morbus tantum durae matris eſſet. Poſt febrem petechialem ex metaſtaſi amauroſis orta eſt, quae emeſi remedio antimoniali excitata, veſicatoriisque leuata, tandemque vſu ſapo-
p. 480. nis et pulueris millepedum plane curata eſt. Saepius Noſter vidit milites, ſi calore aeſtiuo longum iter facere

facere debeant, ſubito coecos factos eſſe, ex nimia diſtentione vaſorum oculi retinam comprimente. Venaeſectio et tria grana tartari emetici ſequente die exhibita, fere ſemper praeſens tulerunt auxilium. Nonnunquam tamen aliquot venaeſectiones et repetitus tartari emetici vſus, nec non veſicatoria requirebantur.

Varias deinde Auctor Cl. circa ophthalmiam, inprimis vero ſummum eius gradum chemoſin, obſeruationes proponit, in quibus hirudines, et quidem nonnunquam duodecim, palpebris et temporibus applicat, ſanguinisque effluxum non cohibet, licet is nonnunquam quinque horas duret. Scarificationem oculorum nec non coniunctiuae turgidae reſciſſionem, ab aliis in hoc morbo commendatam, reiicit. Vtitur praeterea collyrio ex octo vnciis aquae roſarum, aluminis drachmis duabus, et ſacchari ſaturni ſcrupulo vno parato. Debilitas oculi poſt vehementem ophthalmiam relicta, nec non leuiora corneae vlcera, applicatione aquae roſarum, in cuius ſingulis vnciis duo grana lapidis divini ſoluta ſunt, inſigniter leuatur. In albugine epithemata frigida aut aqua cum aceto lithargyrii proſunt, quod vltimum remedium, ob maiorem acidi copiam, Goulardiano extracto Noſter praefert. Ex gonorrhoea ſuppreſſa metaſtaſis materiae eius ad oculum fit et chemoſis inde excitatur, quem morbum Cl. Auctor hic fuſius explicat. Si morbus non intra breue tempus leuatur, omnes internae oculi partes deſtruuntur viſusque plane perit. Putat Cl. Auctor hunc morbum a nullo alio Auctore ante eum dictum eſſe. Interim *ophthalmia ſiphylitica* Cel. SAVVAGES, atque inprimis eius varietas, quam *metaſtaticam* dicit, et quae a ſymptomatica diſtinguitur,

p. 48.

p. 486.

p. 523.

certo huc pertinet. Plures quoque circa eam obſeruationes apud SAINT-YVES occurrunt. In hoc morbo in anteriorem oculi cameram materia puriformis, gonorrheae materiae ſimilis effunditur. Venaeſectio, nitroſa et in vniuerſum antiphlogiſtica methodus emollientiaque cataplaſmata peni et perinaeo adhibeantur, oculusque decocto altheae et ariſtolochiae rotundae frequenter eluatur. Adhibuit quoque Noſter in eo caſu hirudines, quos palpebris adplicat, et ad gonorrhoeae ſuppreſſae reſtitutionem omni trihorio ſex grana rhabarbari cum ſcrupulo vno nitri praeſcribit, cum experientia cognoverit, lenem rhei vim diureticam ad gonorrhoeae reditum multum conferre.

p. 533. p. 588. Porro Cl. Auctor de vulneribus naſi et maxillae ſuperioris atque inferioris diſſerit, tandemque varias de tumoribus tunicatis obſeruationes tradit. Ganglia ſi indurata ſint et iam diu durauerint, ita exſtirpat, vt inciſione facta lympham induratam primo exprimat, atque deinde labia vulneris et capſulae futura ſicca vniat. Rariſſime inflammationem hac methodo adhibita oriri vidit. Minora ganglia ſpiritu vini ſaponato et leniore frictione adhibita fere ſemper optime diſcutiuntur.

T. II. p. 6. Accedimus iam ad alterum volumen egregii huius libri, quo mala pectoris, abdominis et extremitatum traduntur. In hoc primo aliquot caſus aegrotorum Noſter enarrat, quibus globulo tormenti minoris per cauitatem pectoris tranſeunte pulmones perfoſſi, atque coſtae ipſae diffractae, aegri tamen nihilominus feliciter curati fuerunt. Contingere tamen hoc tantum iis vulneratis poteſt, qui corpus robuſtum nulloque alio morbo laeſum habent, et in quibus nullum vas maius diſruptum, nullum os diffractum aut oſſis fragmenta in pulmones intruſa fuerunt. In

In vulneribus pectoris in vniuerſum vulneris p. 24.
deligatio quam citiſſime abſoluatur: cum aër externus inſigniter noceat. Hinc vulnus omne non pluribus puluillis minoribus, tegatur, vti plurimorum chirurgorum mos eſt, ſed vnum tantum maius adhibeatur. Emphyſematis ortus optime vulneris exterioris dilatatione praecauetur, quae aëris egreſſum in telam celluloſam impedit. Sequuntur ob- p. 33.
ſeruationes de vulneribus abdominis ſingularibus. Duobus globulis, ferreo et plumbeo ſimul, miles quidam, vno vulnere laedebatur, et cum, plumbeo extracto, omnes putarent, nullum alium vulneri inhaerere, ferreus praegrandis poſt ſedecim demum annos a Noſtro extractus eſt, qui peritonaeum in hepatis ſede contuderat. Alias eiusmodi obſeruationes omittimus. In milite, qui lance vulnus in p. 44.
hypochondrio dextro acceperat, quo diaphragma laeſum erat, paraphrenitis orta riſu inſigni, vociferatione et vomitu comitabatur. Interim tamen inſignis haec laeſio feliciter curabatur. p. 51.
Tranſit deinde Cl. Auctor ad obſeruationes, quae ad ſcirrhos cancrumque mammarum pertinent. Inter cauſſas frequentiorum in feminarum mammis ſcirrhorum thoraces omnino referendi ſunt, quos in vniuerſum ſumme noxios eſſe, nec gibberoſitati mederi, imo eam potius augere Noſter confirmat. Saepe tumores minores a Noſtro feliciter exſciſſi fuerunt. Si cutis tumori adhaereat, vel alio modo leuiter corrupta ſit, ea cum tumore exſcindatur. Operatione hac peracta, imo poſt omnes maiores operationes chirurgicas linctum ex ſyrupo et oleo exhibet, cui opium addit, aut eius loco alio remedio opiato vtitur. Aliquot poſt operationem horis praeterlapſis, ſaepe inſignis haemorrhagia oritur. In ſecunda vulneris deligatione, quo durities celluloſae telae circa tumorem reſoluatur, vulnus ce-

cerato ex vnguento roſato et mercurio viuo tegit.

p. 80. Caſum deinde enarrat feminae nobilioris, in quo, quatuordecim ab operatione diebus praeterlapſis, ex refrigerio tetanus ortus eſt, quo aegra, ipſo opio
p. 121. fruſtra adhibito perit. Si glandulae ſebaceae Mei-
et 141. bomianae in palpebris iam inflammatae ſint, hoc, vti plures obſeruationes Auctorem Cel. docuerunt ſignum eſt, vniuerſam humorum maſſam iam cancri veneno infectam eſſe. Interim vel in hoc caſu cicatrice rupta aut glandulis aliis ſcirrhoſis factis decocto ex radice graminis, lacte et diaeta vegetabili Noſter eiusmodi aegras ſeruauit.

p. 130. Cicutae minime fauet, cum ea, in omnibus ac numeroſiſſimis a Noſtro inſtitutis obſeruationibus, non ſolum nullum vſum, ſed noxam adtulerit. Fuſius recenſet experimenta, quae cum hoc remedio a Viennenſibus medicis depraedicato fecit. In omnibus fere aegris, qui cicuta per aliquot tempus vſi ſunt, inſignis debilitas neruorum oritur, vel etiam artuum tremor, quem in duobus aegris Noſter per omnem vitam durare vidit. Nec in ſcirrhoſorum tumorum exſtirpatione Noſter ſubſtitit, ſed mam-
p. 128. mas cancroſas etiam exſtirpauit. In obſtructionibus ſimplicibus glandularum malum in vaſis ſanguiferis glandulae haeret, in ſcirrho vero eius ſedes in vaſis partis huius ſecretoriis et tela celluloſa eſſe videtur.

p. 145. Belladonna, Goulardianum extractum, radix dauci, bufones viui vlceri cancroſo adplicati cet. nullum aegris, in quibus haec remedia a variis Auctoribus in carcinomate commendata, Noſter adhibuit, ſolatium et auxilium attulerunt. In tribus aegris, quae vlcere mammae laborabant, quod fere omnia ſigna cancri perfecti habebat, emplaſtrum nigrum
p. 164. ſulphuratum BECHHOLZII, in exercitu regis Boruſſiae vſitatiſſimum, quod ſulphur, ſalem ammoniacum

niacum, cineres clauellatos, gummataque amara varia continet *), plenariam effecit curationem. In carcinomate et cancro aperto ex cauſſa interna orto, licet febris hectica iam adeſſet, tamen Noſter ſaepius mammae exſtirpatione aegram ſeruauit. In omnibus aegris, in quibus operatio ſucceſſu carebat, glandularum Meibomianarum inflammatio iam aderat. p. 182.

Progreditur deinde Cel. SCHMVCKERVS ad paracenteſin variosque caſus recenſet hydropicorum, in quibus hanc operationem ſaepius et nonnunquam vltra quinquaginta vices inſtituit. In vniuerſum feminae diutius in hoc morbo ſubſiſtunt pluresque operationes ferunt, quam viri, in quibus raro aqua pluribus quam ſex vel octo operationibus ſucceſſiuis educitur. Cauſſa videtur nobis in eo poſita eſſe, quod in feminis ſaepe hydrops ouarii aut alius ſaccatus adſit. Cum in hydropicis ſaepe viſcera indurata et magnitudine aucta ſint, cautio habeatur, ne acu hepar vel lien laedatur, vti hoc ſe ſibi ipſi aliquoties accidiſſe candide Noſter fatetur. Si fluctuatio in vno latere minor ſit, quam in altero, hoc ſignum eſt in hoc latere viſcus induratum haerere. Si gelatinoſa aquae natura effluxum eius per canulam impediat, vulnus ſcalpello dilatetur. p. 187. p. 221. p. 214.

Succedunt plures circa hernias obſeruationes. Varios recenſet Auctor Cel. caſus, in quibus in variis herniarum incarceratarum ſpeciebus, licet inteſtina iam ſigna incipientis gangraenae oſtenderent, herniotomia tamen egregium ſucceſſum habuit. p. 221.

Quod radicalem herniarum ſcrotalium curam attinet, ſeparationem a funiculo ſpermatico et ligaturam p. 236.

*) Formulam eius, vide in LOESECKE Mat. med. pag. 510.

turam ſacci hernioſi, vt optimam tutiſſimamque methodum conſiderat. Scarificatio annuli abdominalis aut cauſtici ad eum applicatio nil iuuat. Inter exempla vero aegrorum, in quibus ſacci ſeparationem, cuius mentio apud alios Auctores non occurrit, Noſter inſtituit, etiam Cel. ZIMMERMANNVS eſt, cuius morbum et curationem, quae a Cl. SCHRVCKERO Noſtro ſcalpello facta eſt, Cel. olim Berolinenſium Medicus MECKELIVS ſingulari libello deſcripſit, de quo loco alio iam diximus *). Putat Noſter radicalem hanc herniarum curationem brachiorum vſui in iis maxime praeferendam eſſe, qui vehementi labore et longis itineribus corpus frequenter exercent, inprimis cum incarceratio herniarum tam periculoſa, et aptis remediis non adminiſtratis, ſaepius funeſta ſit. Ex herniis incarceratis eae, in quibus epiploon inteſtina circumdat eaque a compreſſione nimia defendit, per plures nonnunquam dies ſine gangraena perſiſtunt et tandem ſaepe feliciter reponuntur. Dum de remediis in hernia incarceratis adhibendis Noſter diſputat, monet fomenta ex aqua frigida in ſuis experimentis ſe non ſtatim in initio, ſed tunc demum vtiliter exhibuiſſe, quando aliorum remediorum emollientium cet. vſus iam per aliquot dies praeceſſerat. Maxime tamen vſus eius in prolapſu inteſtinorum (i. e. vbi ea laxo peritonaeo nuda ex abdomine propendent) efficax eſſe ſolet. Vt vero ad operationem in Ill. ZIMMERMANNO inſtitutam redeamus, monendum eſt, Cl. Auctorem methodum ſuam, qua ſcilicet ſaccum ſeparat et deinde ligatura eius facta reſcindit, hac occaſione contra obiectiones quasdam defendere, quas

p. 271.

p. 271.

*) Tractatus de morbo hernioſo congenito ſingulari et complicato feliciter curato. Berol. 1771. vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 421.

quae Celeberrimus Goettingenſium Profeſſor A. G. RICHTERVS contra eam fecit*), qui huic ſacci ligaturae et exſtirpationi ſcarificationem annuli praefert et oſtendere conatur, hac ſola methodo veram curam herniae vetuſtae obtineri poſſe **). In omnibus herniis incarceratis vagus in hernia et abdomine dolor eſt, qui, ſi fixus redditur gangraenam proximam et operationem quam citiſſime inſtituendam eſſe indicat. Craſſities ſacci hernioſi aucta fere ſemper a compreſſione bracherii pendet, hinc etiam in herniis vetuſtioribus, ſi nullum bracherium adhibitum fuerit, hernioſus ſaccus ſatis tenuis eſſe ſolet. p. 297.

Caſum deinde recenſet Noſter herniae omenti ſuppuratae et feliciter curatae. p. 301.

Incarcerationis herniae cauſam in aucta muſculi obliqui adſcendentis tenſione ponit, a magna inteſtinorum egreſſorum preſſione producta, qua etiam tendinea eius expanſio, quae annulum abdominalem efficit, tenditur. p. 289.

His de curatione herniarum, quae verae vocantur, propoſitis Cl. Auctor ad ſpurias ſic dictas progreditur. Hydrocele funiculi ſpermatici ſaepe duritie et inaequalitate ſua (quae ab hydatidibus minoribus maiori accretis proficiſcitur) ſcirrhoſum tumorem mentitur. Saepius hunc morbum Noſter inciſione tunicae vaginalis et ſuppuratione excitata ſanauit, monet tamen ſemper aquam ante p. 310.

*) In egregio libro *Chirurgiſche Bibliothek*, in quo libri chirurgici argumenti recenſentur et pro exquiſita, qua Auctor Cl. pollet, doctrina diiudicantur. T. I. Part. IV.

**) Iterum ad hanc defenſionem Cl. SCHMVCKERI, Cel. RICHTERVS reſpondit in *Chir. Bibl.* T. II. pag. 303. ſeqq.

operationem acus triquetrae ope emittendam esse, quo nimis distentae fibrae sub successiua aquae euacuatione robur suum acquirant, et verus testiculi status dignosci possit. Si in castratione funiculus spermaticus prope ad annulum rescindi debet, ipsum testiculum Noster non eximit, sed durante suppuratione remouet, quoniam alias arteria spermatica facile intra abdomen retrahitur atque funestam haemorrhagiam excitare potest. Alias annotationes, quae ad hanc operationem pertinent, omittimus.

p. 364. In ea calculi curatione, quae scalpello fit, Noster apparatum magnum, quem secundum methodum a LE DRAN olim propositam, cum producta sectione vrethrae instituit, omnibus reliquis ipsique laterali apparatui praefert. Saepius eam et fere semper cum felicissimo euentu fecit, vti plures hic recensitae obseruationes probant. Vesicae incisionem maiorem facit, quam LE DRAN, quoniam discissa haec pars facilius coalescit, quam si ex nimia vulneris angustia sub calculi extractione dilaceratur.

p. 437. Ipsa sectio calculi, si a chirurgo perito administratur fere omni periculo caret: Canulam, si fragmenta calculi adhuc in vesica relicta sint, Auctor Cl. vulneri non immittit, sed iniectionibus vesicam depurat, et vulnus leniter tantum fasciis tegit, quo cum vrina etiam calculorum fragmenta egrediantur. Varios de fistulis perinaei obseruationes transimus. Vesi-

p. 469. cae punctionem per intestinum rectum, quam Cl. FLVRANT proposuit *), vehementer extollit, eamque aliquoties cum insigni aegri emolumento instituit, eaque nullo aut paruo tantum dolore comitatur.

Quae

*) vid. POVTEAV Melanges de Chirurg. p. 500. com. nostr. Dec. I. Supplem. p. 157.

Quae ſequuntur obſeruationes ad aneuryſma- p. 481.
tis ſpurii curationem, inprimis vero ad amputatio-
nem extremitatum poſt vulnera earum grauiora,
pertinent. Varios caſus enarrat vulneratorum Cl. p. 492.
Auctor, in quibus, membro globo maioris tormenti
bellici auulſo, amputatio trunci, quam recentiores
chirurgi fere omnes vrgent, non inſtituta et tamen
felix curatio facta eſt. Multiplici experientia edo-
ctus aſſerit, in vniuerſum amputationem in hoc
caſu non neceſſariam eſſe, cum ea, quae a globo
tormenti facta eſt, fere ſemper feliciorem exitum
habent ea, quae a chirurgo inſtituitur. Fragmen- p. 499.
tum oſſis ex vulnere ſimili prominens ſerra non re-
ſcindi debet, cum illud vtplurimum ſponte ſe ſatis
profunde in carne ſeparet. Plurima quoque re-
cenſet exempla, in quibus oſſibus vehementer con-
tritis nulla amputatio inſtituta et tamen aegri ſer-
vati fuerunt. Inſignem corticis Peruuiani in eius- p. 511.
modi caſibus et in vniuerſum contra gangraenam
vſum multis laudibus extollit. Eum cum nitro
et ſemper in ſubſtantia exhibere ſolet. Externe
quoque cum ſale ammoniaco in fomentis adhibet.

Finem harum obſeruationum facit egregia de
morſu canis rabidi et hydrophobia diſſertatio, in p. 525.
qua Noſter ſuam methodum recenſet, hydropho-
biam praecauendi, cuius praeſtantiam plures obſer-
vationes confirmant. Iubet nimirum, vt vulnus
cruentum adhuc eluatur, deinde profundis incisio- p. 536.
nibus factis ſcarificetur et aqua calida admota hae-
morrhagia e vulnere ſuſtineatur. Tunc puluerem
cantharidum vulneri inſpergit atque vulnus totum
veſicatorio tegit; quod per octo vel duodecim dies
continuatur. Interne quater de die grana duo
camphorae cum drachma ſemis nitri exhibet, atque

vulnus digeſtiuis admotis per menſem apertum ſeruat. Omittimus adnotationes plures, quae ad naturam hydrophobiae in vniuerſum declarandam et remedia ab aliis commendata pertinent. Exſectionem tendinoſae partis ſub canum lingua, quam vulgo noſtrates *den Wurm*, i. e. *vermem* vocat, haec animalia contra hydrophobiam praecauere, ſuis experimentis Cel. Auctor confirmat. p. 541.

XIII.

Traité des maladies chirurgicales et des operations qui leur couviennent. Ouvrage poſthume de Mr. IEAN LOVIS PETIT de l'Academie Royale des Sciences, Ancien Directeur de l'Academie Royale de Chirurgie, Cenſeur et Profeſſeur Royal. Mis au Jour par Mr. LESNE, ancien Prevot du College et Conſeiller de Comité de l'Acad. Royale de chirurgie. à Paris. chez Didot le Jeune. 1774. 8. mai. T. I. p. 407. T. II. p. 560. T. III. p. 343. tab. aen. in vniuerſum 90.

i. e.

Tractatus de morbis chirurgicis et operationibus iis propriis. Opus poſthumum Cl. I. L. PETIT, editum a Cl. LESNE.

Poſthumum hoc celeberrimi quondam Pariſienſis chirurgi I. L. PETITI opus, licet poſt plures demum annos a morte Auctoris ſui, quae an. 1750 accidit, prodeat, magnaque ex parte imperfectum ſit, multas tamen easque egregias obſeruationes continet, quae, cum fructus longi artis chirurgicae exercitii cum exquiſita doctrina coniuncti ſint, omnino magnam Lectorum attentionem merentur.

Lau-

Laudandum inprimis eſt id, quod Cl. LESNE, qui PETITI quondam amanuenſis fuit, in huius libri editione impendit ſtudium, ex eo quoque, quod nil in PETITI ſcripto immutauerit, nil, contra morem, aliis Gallicis ſcriptoribus in editione operum poſthumorum nimis vſitatum, addiderit, ſed Petitianum librum talem nobis obtulerit, qualis ille ab Auctore relictus fuit.

In praefatione de fatis huius operis et PETITI vita Cl. Editor exponit, eiusque in vniuerſam artem chirurgicam merita debitis laudibus extollit. Recenſet deinde ſummam eorum, quae in libro, de quo hic agitur, PETITVS expoſuit, varias tamen circa labores recentiorum chirurgorum Gallicorum animaduerſiones immiſcet. Sic v. c. monet Cl. PIBRAC *) in eo errare, quod omnes futurarum cruentarum ſpecies reiiciat, cum tamen caſus exiſtant, in quibus futurae tales vtiles, imo neceſſariae eſſe poſſint. Hoc valet inprimis de iis vulneribus, in quibus fibrae muſculorum ita diſciſſae ſunt, vt nec faſcia, nec fila ad ſe inuicem bene accedant. Symptomata ex futurarum vſu orta, quae Cl. PIBRAC commouerunt, vt eas plane reiiceret potiſſimum Chirurgi aut aegri vitio accidunt. Tom. I. Praef. p. 5.

Alia Editoris Cl. obſeruatio verſatur circa methodum a Cl. TENON ad accelerandam exfoliationem oſſium denudatorum propoſitam **), qui relaxantibus et pinguibus medicamentis hoc optime fieri poſſe, pluribus in canibus factis experimentis confirmare ſtuduit. p. 14.

Monet

*) Mém. de l' Acad. de Chir. T. III. p. 408. comm. noſtr. Vol. VIII. p. 215.

**) vid. Mém. de l' Acad. Royal. des Scienc. a. 1758. et 1760. comm. noſtr. Vol. XII. p. 593. et Vol. XIV. p. 593.

p. 15. Monet Noſter Cl. TENON non ſatis diſtinxiſſe in experimentis ſuis ea, quae in exfoliatione oſſium in genere accidunt, ab iis, quae in oſſibus, carne et integumentis in vulnere recenti denudatis ſunt, qualia ea fuerunt, in quibus methodum, quam commendauit, adhibuit. Hinc Cl. LESNE recte monet, humectantia et emollientia in exfoliatione, quae poſt cariem vel aliam laeſionem oſſis fit, minus apta eſſe atque eodem modo nocere, vti in gangraena humida cataplaſmata mere emollientia obeſſe ſolent.

p. 27. Tubercula rubra, quae in oſſis exfoliatione ſe in ſuperficie eius oſtendunt, non vegetantis noui oſſis veſtigia ſunt, ſed ex inflammatione oriuntur, quae pus bonum producit, atque ea ceſſante iterum ſubſidunt. Sacci hernioſi integri reductionem APETITO

p. 58. non in omni hernia, nullo facto diſcrimine, commendari, recte Cl. LESNE monet. Errat vero quam maxime, dum productionem peritonaei ad teſtem, quae tunicam vaginalem efficit, et in qua herniarum congenitarum *) ſedes eſt, male intellecta HVNTERI mente, negat. Minus quoque fauet Cl. LESNE radicali hydroceles curae, quae per ſacci inciſionem fit, eamque vt periculoſam reiicit. Du-

p. 73. plicis in amputatione inciſionis inuentorem PETITVM, non CHESELDENIVM eſſe, probare annititur. Varia quoque Noſter contra methodum

p. 81. monet, quam Cl. LOVIS ad euitandam oſſis ſerra diuiſi poſt amputationem eminentiam propoſuit**). Caſus exiſtunt, in quibus haec oſſis prominentia nulla arte euitare poteſt, cum in plurimis aliis aegris vulgaris, aut PETITI methodus ſufficiat.

Prae-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 694.

**) Mém. de l' Acad. Royale de Chir. T. II. p. 261. comm. noſtr. Vol. III. p. 598.

Praefationi huic annexae ſunt litterae Cl. LOVIS ad Editorem, in quibus hanc ſuam methodum defendit et ad obiectiones Cl. LESNE reſpondet. p. 98.

Sed accedamus ad ipſum PETITI opus. Primum prioris voluminis caput de vulneribus in vniverſum, ſecundum de vulneribus capitis, tertium de vulneribus pectoris, quartum de tumoribus, in quibus materia aliqua collecta eſt et quintum de morbis viarum lacrymarum exponit. Quae ad tumores ex bile in veſicula fellea collecta ortos, abſceſſus mentientes, nec non ad morbos viarum lacrymarum pertinent, iam maxima ex parte in iis Commentariis reperiuntur, quos ſuper his argumentis Cl. PETITVS Commentariis Academiae Regiae Scientiarum et Academiae Regiae Chirurgicae inſeruit. Cum nimis longum foret, ſi omnia, quae in lectione egregii huius libri noua nobis viſa ſunt, hic indicare vellemus, praecipua tantum ſpeciminis loco adduxiſſe ſufficiat. Tom. I.

Fuſius Cel. PETIT de malis ex puro reſorpto ortis diſputat, cauſſasque et mala inde orta exponit. p. 7.

Saepius metaſtaſis ad contextum celluloſum, ſaepius vero ad viſcus aliquod, inteſtina, vel renes fit, ex quibus excernitur. Peius eſt, ſi pulmones, aut quod frequentius fit, hepar occupat.

Exponit deinde de remediis haemorrhagiam ſiſtendi, atque inter illa compreſſionem arteriae diſciſſae, ſi ea fieri poſſit, omnibus aliis methodis praefert. p. 17.

In vinculo arteriae iniiciendo acum per carnes traiicit. Faſciam ſic dictam vnientem fere ſemper noxiam eſſe aſſerit, cum ea effluxum materiae impediat, nec labia vulneris commode diſquiri poſſint, eique ſuturam ſic dictam ſiccam praefert. Si faſcia nimis ſtricta applicata fuerit, compreſſio inde p. 27.

pro-

producta non ſubito tollenda eſt, ſed ea ſucceſſive remittatur. Locus enim antea vehementer compreſſus, ſi ſubito omnis compreſſio ceſſet, facile in gangraenam tranſit, quod Cel. Auctor variis obſervationibus confirmat. In fine huius capitis modum futuras applicandi deſcribit. Vulnera capitis p. 47. periculo carere monet, niſi peregrina corpora vulneri inhaereant, quae eximi non poſſint, aut nimis magna cerebri commotio praeceſſerit. Plures habet Noſter obſervationes, de tumoribus ſanguineis in integumentis capitis, poſt ictum, vel lapſum, ex ecchymoſi ortis. Nonnunquam eiusmodi tumores in medio ſuo molles ſunt, quod quaſi depreſſionem caluariae mentitur. In magnis tumoribus ſtatim inciſio fiat, quoniam alias humores ſtagnatione acriores redditi os arrodunt. Nonnunquam polypoſa caro in iis reperitur, quae ex ſanguine effuſo coagulato oritur.

p. 61. Plenaria de capitis laeſionibus tractatio hic deſideratur. Inter vulnera pectoris ea etiam, quae in cauum thoracis non penetrant, ſi obliqua fuerint, ſaepe periculoſa ſunt, cum ſanguis ſub pectorali maiore, latiſſimo dorſi, trapezio etc. effluxu eius impedito, facile colligatur. Hinc vulnus externum dilatari debet, aut ſi hoc fieri nequeat, in oppoſito p. 69. latere inciſio inſtituatur. Dantur omnino vulnera p. 77. pectoris, in quibus cruenta ſutura opus eſt. Contuſiones in ſterno a globulis plumbeis minoribus factae, periculo non carent, cum caries aut abſceſſus in mediaſtino inde oriri poſſint. Comparantur eorum effectus cum iis, qui poſt capitis contuſionem ſub cranio accidere ſolent. Trepanationem p. 62. ſterni aliquoties Noſter inſtituit. Nonnunquam cartilago coſtae, vbi ſterno adhaeret, ictu accepto a coſta ſeparatur et introrſum preſſus ac pleuram laedens

laedens abſceſſum excitat, qui eo difficilius detegitur cum coſtae cartilago elaſtica ſua vi ſtatim reſiliat. In hoc caſu largis venaeſectionibus inflammatio et ſuppuratio impedienda eſt, aut ſi abſceſſus iam formatus ſit, pus incisionibus factis emittatur.

Signa, quae vulnus quoddam in cauitatem pectoris penetraſſe indicant, ſaepe obſcura ſunt. Emphyſema etiam in vulneribus non penetrantibus oritur, ſi ea longa ſint et obliqua, ac in loco finiantur, in quo copioſa tela celluloſa eſt, v. c. in axilla. Vulnera acuto gladio facta, quae latiſſimum dorſi aut pectoralem tranſeunt, ſaepe emphyſema coniunctum habent. Quod ſi vero aëri aptis incisionibus nullus egreſſus paratur, tumor auctus reſpirationem impedit et haemoptoën excitat. Frequentius emphyſema accidit iis vulneribus, ex quibus parum ſanguinis profluit, quam iis, in quibus larga haemorrhagia praeceſſerit. p. 100. p. 105.

Ad tumores, in quibus materia aliqua collecta haeret, primo referenda eſt parotis. Pus in ea haerens neruos integumentorum tendens, grauiſſima ſaepe ſymptomata producit. In inciſione eius ſaepe ramus portionis durae nerui acuſtici diſcinditur, vnde palpebrae paralyſis et obliquitas oris, quae ſaepe poſt inciſiones has obſeruatur, forte originem ducunt. Abſceſſus, qui in genis oriuntur, ſi tumor intra cauum oris emineat, in hoc cauo aperiantur. Saepe ex dentibus carioſis abſceſſus, imo febrium intermittentium paroxyſmi aut febris hecticae ſymptomata vel hemicraniae pertinaces oriuntur, quae mala omnia, extracto dente, ſtatim euaneſcunt. p. 110. p. 119. p. 120. p. 124.

Ex inciſa ranula ſeu tumore ſublinguali immenſa ſaliuae copia et ex aliis gelatina aut calculi prodierunt, inter quos vnus nucis auellanae magnitudinem habuit. Fuſe de abſceſſibus, qui in velo palatino p. 126. p. 134.

palatino et circa amygdalas oriuntur, PETITVS exponit. Nonnunquam in iis apertura in meatum auditorium externum facta, pus ex hoc egreditur et vlcus fiſtuloſum fit, aut internae auris partes vlcus
p. 147. et caries occupat. Ex eiusmodi abſceſſu Cl. Auctor oſſicula auditus ancyloſi inter ſe coalita extraxit. Varia quoque exempla recenſet, vbi liquor in meatum auditorium iniectus per tubam Euſtachianam in oris cauum prodiit.

p. 154. Retro aures ad apophyſin maſtoideam abſceſſus quandoque oriuntur, qui ſaepe cum carie cranii coniuncti ſunt, quod et de tumoribus tunicatis in hac parte ortis valet, vti plures hic enarratae obſeruationes probant, in quibus morbus ſaepe funeſtum
p. 173. euentum habuit. Sequuntur variae circa ſtrumas obſeruationes, vbi et de tumorum tunicatorum exſtirpatione in vniuerſum Noſter agit, pauca tamen
p. 193. noua profert. Tumorem cyſticum in flexura cubiti ſitum inſignis magnitudinis feliciter Noſter exſtirpauit, licet ei ipſa arteria cubitalis adnata eſſet, atque etiam in operatione diſcinderetur. Omittimus hiſtoriam inſignis tumoris cyſtici in facie feliciter exſecti, aliasque plures eiusmodi obſervationes.

p. 201. Tumores tunicati vetuſti nonnunquam in ſuppurationem lentam tranſeunt, in quo caſu inciſio tunc demum inſtitui debet, quando omne id, quod tumorem conſtituit, iam reſolutum eſt, quod ex
p. 199. perfecta tumoris mollitie cognoſcitur. Pulmillus aqua phagedaenica imbutus, vulneris poſt tumoris tunicati in facie exſtirpationem applicatus, inſignem ptyaliſmum excitauit, per plures dies non
p. 208. compeſcendum. Qui in feminis poſt partum difficilem, aut in puellis, in quibus catamenia nondum ſe oſtenderunt, tumores in glandula thyroidea oriuntur, in grauiditate aut poſt catameniorum efluxum iterum ſaepe decreſcunt.

Si

Si poſt tumorum tunicatorum aut varicoſorum exſtirpationem ſanguis ex vniuerſae telae celluloſae vaſis dilatatis quaſi e ſpongia exſudat, nec facile haemorrhagia ſiſti poteſt, haec tunica celluloſa omnis reſcindatur, quo facto ſanguinis effluxus facile cohibetur. Methodum tandem Noſter deſcribit, qua in glandularum induratarum in mamma exſciſſione et cancroſae mammae exſtirpatione in vniuerſum verſatur. Si glandulae axillares etiam induratae ſint, in ſcirrhoſae mammae amputatione prius minores glandulas exſtirpat, antequam mammam de corpore reſcindit. p. 223.

Obſeruationes, quae ad tumores a bile in veſica fellea retenta formatos, qui ſaepe pro abſceſſibus hepatis habiti fuerunt, pertinent, omittimus, cum ea iam in Actis Academiae Regiae Chirurgicae *) inſerta ſint. p. 239.

Vltimum huius voluminis caput de morbis viarum lacrymalium inſcribitur, quod maxima ex parte eas obſeruationes continet, quas Cel. Auctor olim Academiae Regiae Scientiarum exhibuit **). In aperiendo ſacco lacrymali cultello vtitur, cuius alterum latus crenam habet, quae cereum ducit, quem in nares immittit. p. 289. p. 305.

Initium ſecundi huius libri voluminis ſextum caput *de vlceribus* facit, in quo primum de ſignis variarum ſpecierum vlcerum, earumque curatione in vniuerſum exponit. Deinde de vlceribus cum carie et exoſtoſi diſſerit. Si ex fiſtulis in ſterno magna puris copia profluat, hoc abſceſſum in mediaſtino ſub ſterno latere indicat. Cl. Auctor in hoc caſu ſaepius trepanationem ſterni inſtituit, imo cartila- Vol. II. p. 1. p. 27.

*) Vol. I. p. 59.

**) vid. Mém. de l' Acad. des Sciences a. 1734. 1740. 1743. 1745.

p. 16. cartilaginem coſtae exſecuit. Si in carie pus e medulla propullulat, os trepano perforandum eſt.

p. 25. Hac ratione Cl. Auctor vlcus in proceſſu maſtoideo, perterebrato eo, ſanauit. In carie humida deſtruenda ſolutio mercurii in acido nitri omnibus aliis remediis, excepto cauterio actuali, praeferenda eſt, quod exemta oſſis corroſa parte admouet Cl. Auctor, illudque

p. 30. omni alio auxilio certius eſſe aſſerit. Plures quoque regulas circa adplicationem ferri candentis inſert. Dolor in oſſe cauterio excitatus, ſi aliquot horas poſt operationem ſubſiſtit, hoc ſignum eſt, ignem plenum effectum ſortitum eſſe, quod etiam alia

p. 36. ſigna fuſius hic expoſita docent. Tranſit deinde Noſter ad vlcera, in quibus corpus peregrinum

p. 45. latet et eorum curationem impedit, atque etiam de vlceribus exponit, quae curationem ob communicationem reſpuunt, quam cum vaſe quodam maiore, canali excretorio, aut cauitate vicina habent. Agit hic primo de vlceribus varicoſis atque de varicum geneſi curationeque vlcerum ex iis ortorum egregia plura profert. Inciſionem varicum atque extractionem grumi ſanguinei varice inhaerentis ſuadet atque aſſerit eam omni fere periculo carere.

p. 74. Si varices recentes ſint, grumus applicato cataplaſmate emolliente emolliri et ſenſim in vas retrudi poteſt. Haec tamen reductionis ſpecies in iis tumoribus huius generis, quos iam vetuſtas occupauit, locum non habet. Exſtirpari quoque varices non

p. 79. nunquam poſſunt. Sequuntur variae obſeruationes circa haemorrhoides coecas, ſeu tumores varicoſos ex dilatatione vaſorum haemorrhoidalium

p. 82. ortos. Nonnunquam internae haemorrhoides, ſi deſcendant et ab ſphinctere ani conſtringantur, graviſſima ſymptomata producunt, quae ſtatim leuantur, ſi digito in anum immiſſo eorum repoſitio fit.

p. 84. Vlcera in inteſtino recto ex haemorrhoidibus orta

ſaepe

ſaepe fluxum hepaticum mentiuntur. Raro curantur, niſi a venereo miaſmate proficiſcantur, quod aliquoties Noſter vidit. Nonnunquam eiusmodi vlcera inteſtinum rectum et veſicam exedunt, quo facto foeces et flatus cum vrina per vrethram, raro vero lotium cum foecibus exit. Vidit tamen Cl. Auctor ſaepius fiſtulam hanc iterum coaluiſſe, cathetere per aliquot ſeptimanas perpetuo in veſica relicto. Nonnunquam ab eiusmodi vlceribus os ſacrum ipſum carie exeditur. In feminis eiusmodi p. 99.
vlcera in vaginam penetrant. Peſſarium in vaginam immiſſum, quod fiſtulae aperturam comprimit, hoc in caſu ſaepe opem fert. Addit quoque Cl. p. 101.
Auctor varias obſeruationes circa extractionem excrementorum induratorum, quae in inteſtino recto haerent, nec non de variis vlcerum generibus ex p. 110.
haemorrhoidibus coecis externis ortis, ſeu fiſtulis ani differit. Si haemorrhoides ligatura exſtirpare volu- p. 138.
mus, interna inteſtini recti tunica, quae eas obducit, incidenda et ab haemorrhoidibus ſeparanda eſt, quoniam alias, hac tunica filo comprehenſa, maximus dolor grauiſſimaque ſymptomata oriuntur, imo nonnunquam aeger perit, eodem modo, vti id in herniae incarceratione fieri ſolet. Suadet quoque Cl. Auctor, vt in exciſione haemorrhoidum exterior tunica a varicoſa vena ſeparetur. Methodum p. 145.
haemorrhagiam poſt operationem fiſtulae ani ſiſtendi fuſius deſcribit, nec non de modo coarctationem ſphincteris externi ſub cura vulneris impediendi, quae ſaepe poſt hanc operationem accidit, varia monet. Inciſionem haemorrhoidum appli- p. 159.
cationi hirudinum praefert: putat enim haemorrhagiam inde excitatam difficulter ſiſti. In fine capi- p. 162.
tis Cl. Auctor de fiſtulis ani differit. Si eiusmodi fiſtulae ex ſiphylitica labe, vti ſaepe fit, oriantur, mercurii vſus ſine vlla chirurgica operatione haud

raro malum tollit. Fiſtulam curauit Noſter, in
p. 210. qua os ſacrum iam carioſum erat. Exempla non deſunt, corpora peregrina vt acus, oſſium fragmenta his fiſtulis inhaeſiſſe et ſine dubio earum cauſſas fuiſſe, qualia varia hic commemorantur. In fiſtulae operatione callum penitus exſcindendum eſſe Noſter monet. Nonnunquam vrinae retentio operationem ſequitur.

p. 243. Septimum caput *de herniis* inſcribitur, morbo tam frequenti, quam periculoſo, ita vt omnino mala huius generis ſummam chirurgi attentionem poſtulent. Exponit Noſter primo de variis generibus huius morbi eorumque differentiis.

p. 246. Notat Cl. Auctor in herniis partes in abdomine contentas non ſemper per aperturas naturales v. c. annulum abdominalem, vmbilicum prodire, ſed ſaepius fibras muſculorum praeternaturaliter dilatari. Sic enim v. c. in hernia inguinali fibras columnae exterioris annuli abdominalis dilatatas ad latus huius annuli, annulum autem ipſum perfecte clauſum
p. 250. vidit. Simile quid in exomphalo Cl. Auctor obſeruauit, in quo tantum in infantibus inteſtina per vmbilicum, in adultis vero ſemper per praeternaturalem aperturam ad latus vmbilici ortam egre-
p. 249. diuntur. Sic etiam in hernia crurali, ſupra ligamentum POVPARTII fibrae muſculorum rectorum abdominis a ſe inuicem diſtractae inteſtinorum egreſſum nonnunquam permittunt, illudque tam frequenter in herniis vmbilicalibus accidit, vt ex centum exomphalis vix duo vmbilici vitio oriantur, ſed
p. 256. illi fere ſemper ventralibus herniis adnumerandi ſint. Ventriculum in eiusmodi herniis aliquoties obſeru-
p. 261. vit. In duobus aegris Cl. Auctor herniam thoracicam, ſeu viſcera abdominalia in thoracis cauitatem per aperturam praeternaturalem in ſepto transuerſo ſurſum preſſa, vidit. Vnus eorum aegrotorum per

quadra-

quadraginta annos aſthmate grauiſſimo moleſtabatur et colicis doloribus, quae tamen ſymptomata ſtatim euaneſcebant, quando ventriculus cibis iterum implebatur. Credit Noſter ventriculi partem et arcum coli vacua quidem per aperturam praeternaturalem thoracem ingredi potuiſſe, ſed ea ipſa viſcera poſt cibum aſſumtum, mutato ſitu partis eorum in abdominis cauitate ſuperſtitis regredi debuiſſe. Peritonaeum nullum ſaccum in his herniis formauerat, ſed vna cum pleura diſruptum erat. Vt plurimum herniae hae thoracicae ſeu diaphragmatis in ſiniſtro latere accidunt, quod ex hepatis ſitu in dextro hypochondrio explicandum eſſe videtur. Herniam ventralem Cl. Auctor vidit, in qua vterus grauidus continebatur. Diuerſam reſiſtentiam muſculorum abdominalium, quae a diuerſa eorum firmitate pendet, cauſſam obliquitatis vteri grauidi eſſe recte monet, cum vterus ſemper verſus eam partem feratur, vbi minorem reſiſtentiam inuenit. Herniae incarceratae, in quibus aliqua ſeroſi liquoris portio cum inteſtinis et omento continetur, difficilius gangraena occupantur, quam eae, in quibus humiditas abeſt, cum liquor ille compreſſionem aliquo modo impediat et fomentationis loco inſerviat. Idem hoc de omento valet, quod etiam inteſtinum a compreſſione liberum ſeruat. Inter cauſſas incarcerationis herniae, ſeu quae regreſſum inteſtini impediunt, inprimis quoque referri debent corpora duriora deglutita v. c. acus, oſſium fragmenta cet. quae in conuolutionibus inteſtinorum prolapſorum morantur. Herniam ex ruptura peritonaei ortam Cl. Auctor nunquam vidit. Inter cauſſas praediſponentes herniarum etiam victum ex lacticiniis, butyro, oleoſis cet. refert.

p. 270.

p. 273.

p. 278.

p. 285.

p. 287.

His de differentiis herniarum in vniuerſum expoſitis Cl. Auctor ad ſigna earum diagnoſtica et

p. 288. prognoſtica progreditur. Varia exempla recenſet herniarum, quae pro bubonibus venereis habitae fuerunt, et viciſſim bubonum, quos hernias eſſe alii crediderunt, illisque alias obſeruationes addit de abſceſſibus, varicibus cet. ſimilibusque malis,
p. 300. quae in inguine orta hernias mentiuntur. Monet omenti in hernia cuiusdam praeſentis ſigna maxime
p. 310. fallacia eſſe. Etiam in herniis antiquis, decubitus in dorſo per longum tempus continuatus, leuisque
p. 315. compreſſio, ſenſim aucta, ſaepe ſucceſſu temporis plenariam curam producunt. Quantae naturae in conſeruando corpore vires ſint, variae hiſtoriae de
p. 319. herniis gangraenoſis probant, quae fere ſolis naturae viribus ſanatae fuerunt. Tandem ad curam herniarum Cl. Auctor accedit. Qualem vſum ſubi-
p. 325. tanea applicatio aquae frigidae in ſcrotum in herniae reductione praeſtet, exemplo declarat, variaque circa bracheria et modum ea applicandi monita addit.

Recenſet deinde operationes, quas veteres ad radicalem herniarum curationem adhibebant, eos-
p. 348. que omnes reiicit et multis demonſtrat, in ſola herniae incarceratione herniotomiam inſtituendam eſſe, cum ſi in hernia non incarcerata ea fiat, fere ſemper longe grauiora ſymptomata oriantur, quam in iis aegris, in quibus gangraenae metus hanc operationem neceſſariam reddidit. Tandem methodum, qua operatio in hernia incarcerata inſtituenda eſt, deſcribit
p. 371. et ſacci integri reductionem, quam, vti notum eſt, in aliis ſcriptis iam commendauit, etiam hic commendat*). Concedit tamen caſus etiam exiſtere, in quibus ſacci quoque ante herniae reductio-
p. 380. nem inciſio omnino locum habere debet. Vetuſtum ſaccum, nimis incraſſatum in cancrum abire et reſecandum eſſe monet.

Octauo

*) Mém. de l'Acad. de Chirurgie T. IV. p. 281. Conf. comm. Vol. XVI. p. 18. et MAVCHART diſſ. de hernia incarcerata.

Octauo capite de *hernia veſicae* ſeu *cyſtocele* diſ- p. 406.
ſeritur. Inter cauſſas eius retentionem vrinae et grauiditatem potiſſimum Noſter refert. Qui hac hernia aegri laborant, raro vomunt, ſed vrina iis ſupprimitur.

p. 421.

Nonum caput de *operationibus chirurgicis* in- p. 431.
ſcribitur, *quae in pene fiunt*, vbi vero de phimoſi et paraphimoſi tantum exponitur. Exempla habet Noſter calculorum ſub praeputio collectorum, quod inprimis in infantibus accidere ſolet.

p. 480.

Vltimo huius voluminis capite de *operationi-* p. 482.
bus, quae in ſcroto et teſtibus fiunt, diſputatur. Eam hydrocelen, in qua aqua in tela celluloſa eſt, a vera, in qua intra albugineam, quae *periteſtis* hic dicitur, p. 498.
aqua effuſa eſt, ſollicite diſtinguit. De varicocele monet eam frequentius in ſiniſtro latere, quam in dextro accidere, quod ex foecum in colo ſiniſtro mora frequenti pendet. Ante varicoceles ortum dolores colici, nec non dolores in lumbis et ſcroto praecedere ſolent. Obſtructio glandularum meſenterii aut hepatis ſaepe huius mali cauſa eſt. Frequenter quoque occurrit in melancholicis. Varias ſpecies p. 513.
tumorum, qui in teſte oriuntur, diſtinguit. Gelatinam, ſatis duro inuolucro contentam, ſarcoceles ſpeciem praebere vidit. Repetit ea, quae de vlcere tunicae teſtis albugineae et de errore ſuo alio loco p. 519.
dixit *), quo fila, quibus teſtis ſubſtantia conſtat, pro pure et celluloſis laminis habita, de induſtria deleuit. Subiungit tandem varia monita circa amputationem teſtis. Poſtea non modo ex arteria ſpermatica, ſed ex aliis quoque arteriis grauem p. 528.
nonnunquam haemorrhagiam oriri, probat Noſter exemplo aegri, in quo multum ſanguinis ex arteriola ſepti ſcroti effluxit. Ligaturam funiculi poſt caſtra-

*) Mém. de l'Acad. de Chirurg. T. IV. p. 323. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 19.

tionem plane reiicit, aut ſi ea inſtituitur, filum fortiter conſtringendum eſt, quod conſtricto nervo ſtatim quoque dolorem omnem ſupprimit. Re-
p. 529. ſecto teſte ſaepe renes quoque male afficiuntur et vrinae effluxus ſupprimitur. Haud raro poſt eam operationem ſecundum longitudinem funiculi ſpermatici abſceſſus formantur, qui ſi ſub aponeuroſi obliqui maioris ſiti ſint, difficulter dignoſci poſſunt.

T. III. In tertio tandem operis huius volumine de morbis viarum vrinariarum, in ſpecie vero de retentione vrinae eiusque inuoluntario effluxu, ar-
p. 2. tuum amputatione, aneuryſmate vero et ſpurio, frenuli linguae inciſione ac digeſtione infantum lactantium cet. exponitur. Suppreſſio vrinae accidit, ſi vrina vel difficulter vel plane non ſecernitur, retinetur vero illa, ſi iam ſecreta exire nequit, ſaepe ſi lotium in veſica retinetur, etiam compreſſis vreterum in veſicam apertorum oſtiis illud in re-
p. 7. bus ſtagnat. Hinc in iis, qui retentione vrinae pereunt, ſemper etiam vreteres et peluis renum lotio retento morboſe diſtenti reperiuntur. Imo ſi dilatatio veſicae et vreterum ad certum aliquem gradum perducta ſit, obliqua directio inſertionis vreterum in veſicam perit et valuula, quae oſtiis eorum praeſita eſt, deletur, quo facto aliqua lotii pars ex veſica ad
p. 8. vreteres et renes regurgitat. Hoc factum eſſe, remiſſio doloris in regione veſicae et augmentum eius in regione renum indicat. In cadauere hominis, qui retentione vrinae laborauerat, vreterum oſtium adeo amplum erat, vt digitum admitteret,
p. 10. ipſique vreteres ita dilatati, vt ſinguli veſicam magnitudine ſuperarent.

Varios recenſet caſus Noſter, vbi calculo in
p. 19. vrethra haerente lotium in ea retentum inſignem in perinaeo tumorem produxit, eius membranaceā parte

parte dilatata. Tumens proſtata inter frequentiſſimas retentionis vrinae cauſſas eſt, et fere ſemper tunc adeſt, quando carunculae vel carnoſitates in vrethra vt mali cauſſa accuſantur. Haec proſtatae obſtructio vt plurimum poſt gonorrhoeam male curatam aut ſuppreſſam orta eſt. Omnes, qui ea laborant, in emiſſione lotii vltimam eius partem guttatim tantum excernunt: de grauitate et dolore obſcuro in perinaeo et quoties vrinam emittunt, etiam de teneſmo conqueruntur: foeces egredientes in anteriore maſſae ſuae facie ſulcum oſtendunt a tumente proſtata iis impreſſum: et digito in anum immiſſo tumor huius glandulae detegitur. Mercurii vſum in hoc caſu Noſter ſuadet aſſeritque ſe obſtructionem proſtatae eius opere aliquoties curaſſe. P. 31. Haemorrhagia ſub catheteris effluxu exorta, vaſisque antea tumidis nunc ſubſidentibus, viam in veſicam patefactam Noſter eſſe refert. Addit varias obſeruationes de abſceſſibus in proſtata ortis, qui diuerſos exitus habent. Vidit Noſter ſub emetici actione et in alio aegro ſub catheteris applicatione eiusmodi abſceſſum ſponte diſruptum eſſe in veſicam. In eiusmodi aegris, ſi fiſtula vrethrae oriatur, catheter in veſica relinquendus eſt, quo vrina per illum effluat, nec in fiſtuloſum vlcus penetret. P. 55. In paralyſi veſicae lotii exitus frigore atmoſphaerae, aut corpore frigido metallico v. c. matula cruribus admoto, egregie adiuuatur. P. 59.

His expoſitis Cl. Auctor varias catheterum ſpecies deſcribit, modum, quo ii applicandi ſint, docet, prudentemque eorum vſum commendat. P. 74. P. 82. A violentia catheteris in veſica relicti gangraenam accedere Noſter vidit. Variis obſeruationibus retentionem vrinae renalem quoque accidere poſſe probat. Ad duas libras lotii ex tumore in lumbis orto, vna cum calculo renali huius tumoris cauſſa p. 91.

p. 94. prodire vidit Auctor. In alio aegro post calculi
p. 98. renalis extractionem fistulosum vlcus remanebat.

In fine huius capitis de incontinentia vrinae disputatur. Ex gangraena in vesicae fundo post partum difficilem orta, vrina per vaginam exstillans crusta lapidosa eius parietes obduxerat. Varias de atretis, aut mala vrethrae conformatione a partu,
p. 126. obseruationes omittimus.
p. 131.

Duodecimo capite Cel. PETIT de *amputatione*
p. 142. *membrorum* exponit. Luxatio pedis saepe magnum periculum adfert, ita vt nonnunquam ob eam amputatio instituenda sit. Cum in aegro, in quo crus amputatum erat, nulla bona suppuratio se ostenderet et suspicio adesset, illum lue venerea
p. 144. laborare, Noster saliuationem in eo mercurii ope excitauit, vlcusque a mercurii vsu purum reddi vidit.
p. 159. Saepe tamen in eiusmodi aegris, si iis artus amputantur, vulnus vel sine mercurii vsu feliciter curatur.
p. 146. In ipsa amputatione periosteum non ab osse deglubit, sed statim carne dissecta serram ossi applicat. Compressionem arteriae ligaturae praefert, cum minorem dolorem excitet. Inuentionem duplicis sub amputatione incisionis sibi tribuit. Quae ad preli a PETITO inuenti, ad thrombum, quo ar-
p. 224. teria clauditur, historiam cet. pertinent, cum ex aliis Auctoris Cl. scriptis iam nota sint, omittimus.
p. 231. In fine huius capitis de amputatione ossium in articulo Auctor Cl. varia monet et exempla adfert, vbi ea in articulo genu et manus instituta fuit. Post amputationem manus in articulo nonnunquam absces-
p. 256. sus in vagina tendinum oriuntur.

Decimum tertium caput, quo de *aneurysmate* Auctor Cl. agit, etiam plures circa thrombi formationem obseruationes continet.

Decimo

Decimo quarto capite *frenuli ſub lingua* ſectio eadem ratione deſcribitur, qua de ea iam Cl. Auctor in Actis Academiae Scientiarum Pariſinae a. 1742. egit. Sequenti capite de digeſtione lactis in ventriculo puerorum lactantium diſſerit, atque probare annititur, ad digeſtionem huius lactis ſemper neceſſarium eſſe, vt illud coaguletur, nec eam coagulationem ex morbo accidere. Vltimo tandem capite difficilis partus deſcribitur, cuius difficultatis cauſſa in hydrocephalico capite fetus poſita erat. p. 288. p. 318. p. 297.

Tabulae aeneae huic operi inſertae partim illa inſtrumenta exhibent, quorum in hoc opere mentio fit, partim variorum aliorum figuras continent, quae ad capita a PETITO nondum elaborata ſpectant.

XIV.

Bibliotheca chirurgica, qua ſcripta ad artem chirurgicam facientia a rerum initiis recenſentur. Auctore ALBERTO VON HALLER. Tomus I. Tempora ante annum MDCCX. Bernae apud Em. Haller et Baſileae apud I. Schweighauſer. 1774. 4. mai. pag. 593. Tomus II. ab anno MDCCX. ad noſtra tempora. ibid. 1775. pag. 692.

Egregium Magni HALLERI conſilium de bibliotheca medica per partes edenda, tunc indicavimus, quando de *Bibliotheca* EIVS *botanica*, quae anno huius ſeculi ſeptuageſimo primo et ſecundo prodiit, ad Lectores retulimus *). Iam promiſſis ſatisfacere pergens, chirurgicam Bibliothecam publicauit,

*) v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 34.

cauit, quam primum volumen *Bibliothecae anatomicae* ſecutum eſt, cuius alterum vna cum primo tomo *Bibliothecae practicae* his ipſis nundinis exſpectamus.

Liber primus *Graecos* ſcriptores continet. Cum
Tom. I. multi putent artis medicae eam partem, quae con-
p. 1. ſilio medetur antiquiorem eſſe ea, quae manu curationem tentat, Ill. Auctor monet, ſi diaeteticam artem et obſeruationes de nocentibus et iuuantibus effectibus ciborum reſpicias, omnino medicam artem chirurgiae antiquiorem eſſe. Chirurgica enim mala ſe caſibus humanis rarius admiſcent et ad artis exercitium iam quaedam audacia, per experimenta nata requiritur. Magna ex parte chirurgiae initia obſeruationibus caſuum fortuitorum aut eorum debentur, quae natura in ſanandis malis facit. Exempla animalium vt Hippopotami venam ſibi ſecantis cet. homines imitatos eſſe, minus probabile Ill. Auctori videtur. Aegyptiorum et Perſarum mollities chirurgicae artis ſub his populis incrementa impediuit. Apud Chinenſes quoque medicina fere tota in morbis internis occupatur, ſi vſtiones cutaneas exceperis, quae huic genti, vt et aliis multis barbaris populis, qui antiquiſſima inſtituta retinuerunt, vna cum ſcarifatione familiares
p. 2. ſunt.
115. Graecis, quibus longe firmiores et doloris po-
p. 3. tentiores animi fuerunt, chirurgiae ſeuerioris origo potiſſimum debetur. Expoſitis iis, quae ad chirurgos referri debent, qui ante HIPPOCRATEM vixerunt, breue artis chirurgicae compendium Ill. HALLERVS
p. 7. tradit, quale illud in HIPPOCRATIS ſcriptis continetur. Antiquiora eſſe ſeparationis medicae artis
p. 18. in clinicen, chirurgiam et pharmaceuticen veſtigia ERASISTRATI et HEROPHILI temporibus contra

CELSVM

CELSVM Ill. Auctor probat. Sequuntur HEROPHILI et ERASISTRATI adſeclae aliique chirurgi ad CELSVM. Hunc non absque artis chirurgicae exercitio fuiſſe plurima ſcriptorum ſuorum loca probant. Recenſentur deinde praecipui chirurgi et chirurgicae artis ſcriptores, qui ad GALENVM vsque vixerunt, tandemque recentiores Auctores ad Arabum vsque tempora. p. 38.

Liber ſecundus, quid *Arabes* praeſtiterint, enarrat. Si medicamenta excipias, quibus iam ſcriptores, qui poſt GALENVM vixerunt, nimis fauent, illi pauca addiderunt. Mercurii ſublimati efficaciam, vt erodentis medicamenti iam cognoverunt. Varias quoque forcipes ad partum facilitandum deſcribunt, atque ABVL CASEM (quem vulgo Abulcaſis dicunt) primus Ill. HALLERO eſſe videtur, qui inſtrumenta chirurgica depinxerit. Plurima quoque ille propria habet. De cauteriorum ſiue vſtionum antiquitatibus ſub initio huius libri Ill. Auctor multa egregia monet. Eae vti ſcarifationes et inciſiones omnibus fere barbaris familiares ſunt. p. 115. p. 119. p. 137. p. 115.

Tertius liber *Arabiſtas* ſeu eos chirurgiae inter chriſtianos ſcriptores continet, qui medio aeuo, quo totis fere nouem ſeculis medicina, vti reliquae artes omnes, languebat, omnem fere ſuam cognitionem Arabibus tantum debebant. Vndecimo ſeculo CONSTANTINVS medicinam aliquo modo comtiorem ex Oriente in Italiam et Salernum retulit. Recenſentur deinde chirurgi ſemibarbari, qui ſeculo duodecimo in Italia vixerunt, inter quos BRVNO, GVILIELMVS DE SALICETO et LANFRANCVS eminent. Plurimi huius ſeculi chirurgi p. 143.

p. 152. chirurgi clerici erant. IOHANNES PITARD, LVDOVICI IX et Succeſſorum Regum Galliae Chirurgus, Collegii chirurgorum, a. 1278 vt videtur, Pariſiis conſtituti praecipuus Auctor fuit. In ea ſchola primum chirurgorum a medicis diſtinctio nata eſt.

p. 157. Egregie Ill. Auctor de GVIDONIS DE CAVLIACO in artem chirurgicam meritis diſſerit, qui veterum praecepta cum anatome et artis chirurgicae cognitione ex propriis obſeruationibus hauſta coniunxit.

p. 161. Lites quoque in Gallia inter medicos literatos, chirurgos et tonſores, iam hoc aeuo ortae, indicantur.

p. 173. Quartus liber *inſtauratores* enarrat, chirurgicos ſcilicet ſcriptores, qui ab initio ſeculi decimi quinti ad FALLOPIVM vsque vixerunt. Ad hos tum varii Itali, vt ANT. BENIVENIVS, ALEXANDER BENEDICTVS, IOAN. DE VIGO, MARIANVS SANCTVS, IAC. BERENGARIVS, VESALIVS, AMATVS LVSITANVS cet. tum Galli, vt I. FERNELIVS,

p. 183. PAREVS, PETRVS FRANCO pertinent. PARACELSVS plurimum arti chirurgicae nocuit, cum animos a maſcula manus opera ad emplaſtra et medicamenta reuocaret. Inter reliquos Germanicos chirurgos his ipſis ſeculis, ſi forte RVEFFIVM exceperis, et I. LANGIVM, Sileſiacum, pauci notantur. Habet tamen etiam aliqua CONR. GESNERVS.

p. 217. Quintus liber, qui hiſtoriam *ſcholae Italicae* continet, a FALLOPIO vsque ad annum ſeculi decimi ſeptimi circiter ſexageſimum quintum pertinet. Italicam vero ſcholam Auctor Ill. vocat, quoniam maxima pars ſcriptorum huius periodi, vel Itali fuerint, vel in Italia artis fundamenta didicerint.

p. 266. De MILDANI ſcriptis ineditis, quae in Bibliotheca Bernenſi

Bernenſi ſuperſunt, relatio inſeritur. Inter ea multa ſunt notatu digna, inprimis in epiſtolis. TAGLIACOTII adminiſtrationem pene incredibilem, tamen vere ab eo inſtitutam fuiſſe pluribus teſtimoniis Auctorum comprobatur, qui eodem aeuo cum illo vixerunt. SEVERINVM tanquam chirurgiae effi- p. 319. caeis, ipſis temporibus his neglectae penitus, reſtauratorem laudibus Cel. HALLERVS extollit. p. 272.

Sextus liber, qui *chirurgia gallica* inſcribitur, p. 379. epocham continet, quae ab eo tempore incipit, quo Galliae Rex Ludouicus XIV perpetuis bellis implicitus chirurgiam omnibus modis adiuuit, ſcholas chirurgicas erexit, et noſocomia conſtituit. Hoc fecit, vt exteri iam magis Pariſiis confluerent, ibique tum artem chirurgicam in vniuerſum, tum in ſpecie artem obſtetriciam addiſcerent. Primus huius epochae ſcriptor FRANCISCVS MAVRICEAV eſt. Initium hic fit recenſionis earum obſeruationum p. 389. chirurgicarum, quae in diariis vt v.c. Ephemeridibus Academiae Naturae Curioſorum, Transactionibus Philoſophicis cet. ad ſingulos annos inſerta ſunt, quod et de diſſertationibus aliisque libellis minoribus academicis valet. Finis huius epochae circa annum huius ſeculi, quo viuimus, decimum conſtituitur.

Iam ad alterum volumen progredimur, in cuius Vol. II. praefatione Ill. Auctor modeſte fatetur ab aliis doctis viris, qui melioribus vtuntur opportunitatibus, facili ſtudio varia addi et emendari in ſuo opere poſſe. Cenſuram librorum, quos ipſe non vidit, ſed quorum titulos ex Cl. PORTAL *Hiſtoria Chirurgiae et Anatomiae* aliisque excerpſit, non addidit. Duos tantum libros hic Tomus comprehendit, quorum prior ſeu ſeptimus totius operis,

eam

eam epocham continet, quae *Chirurgiae perfectioris* nomine ab HALLERO insignitur.

Notat in Chirurgia vix vnquam, perinde vt in
T. II. aliis medicinae partibus factum est, magnum ali-
p. 1. quem virum eminuisse, qui late posteros sequaces habuerit et qui diuisionis epocharum caussa esse possit. Hinc Ill. HALLERVS aliud diuisionis momentum a fatis chirurgiae in vniuersum desumsit. Initium vero *Chirurgiae perfectioris* facit a FRANCISCO PETITO, quem primum posuit inter eos chirurgos, qui minutis et exquisitis mensuris et subtilibus consiliis chirurgicam artem perficere sunt aggressi. Monet HEISTERVM inter omnes scri-
p. 5. ptores chirurgicos plurima scripta edidisse. Eius institutiones pleniſſimum ad hunc vsque diem artis chirurgicae compendium sunt, cum tamen huius artis facies adeo nostris temporibus mutata omnino nouum eiusmodi laborem necessarium reddat. Eo loco, vbi, quae ipse in Chirurgia praestitit, Ill. Auctor
p. 171. enarrat, curationes etiam refert, quas Parisiis anno 1727 a Gallicis chirurgis factas vidit. Plerumque euentus funestus erat.

Octauus tandem liber ea recenset, quae *nouissimis*
p. 249. *temporibus* facta sunt. Occasionem noui libri Auctor Cl. a noua Academia Chirurgica Parisiis constituta sumit eiusque initia ad annum 1743 ponit, quo primum commentariorum volumen prodiit. Lites chirurgorum cum medicis in Gallia ortae ad singulos annos recensentur, totumque opus ad recentissima vsque tempora continuatur. Additi sunt supplementa et index Auctorum.

Est

En ſummam operis, quod, licet ei in tanto librorum numero, vti Ill. Auctor ipſe fatetur, certe aliquid paſſim addi et emendari poſſit, tamen de nouo merita HALLERI, ſummi Viri, in artem medicam auget, doctrinaeque ac diligentiae eius aeternum erit monumentum. Vtinam Summum Numen egregio huic Seni, cui res publica litteraria, cui genus humanum tot tantaque debent, placidam et ab omni aegritudine liberam ſenectutem largiatur.

XV.

Eenige heelkundige waarnemingen en konſtbewerkingen, door eigen onderuindinge geoeffend en beproefd, met nodige aanmerkinge der zakne dienende voorzien, en door beygebrachte geuallen von geleerde ſchryveren, beueſtigd en geſtaaft. By een verzameld en in't licht gegeuen, ten nutte van min eruarene en ionge heelmeeſters, na eene konſt-oeffening van meer dan een halue eeuw, door PIETER VAN ESCH, Ordinaris en Oudſte konſt-oeffenend Heelmeeſter zoo van de ſtadt, gaſthuis, armhuis en't krankzinnig beterhuis der Stadt Dordrecht. Te Gouda, gedruckt by Gysbert de Vry. 1772. 8. pagg. 460.

i. e.

Variae obſeruationes et operationes chirurgicae — collectae et in vſum chirurgorum iuniorum poſt exercitium artis per quinquaginta annos et vltra editae a PETRO VAN ESCH Chirurgo Dordracenſi.

Cl. Auctor exercitatiſſimus Chirurgus ſenex eas obſeruationes chirurgicas maxime notatu dignas iam deſcribit, quae in longo artis ſuae exercitio, ei obuenerunt. Licet vero nimis prolixe ſcribat ac varia immiſceat, quae omnibus nota, aut ex aliis Auctoribus excerpta ſunt, tamen omnino eius liber multa continet, quae inprimis noſtram attentionem merentur et de Auctoris doctrina atque
p. 1. dexteritate teſtantur. Prima obſeruatione de venaeſectione et praecipuis infortuniis, quae in ea extimeſcenda ſunt, nec non de morbis exponit, in quibus ea inſtituitur. Cauſſa, cur ſtyptica, quae experimento in bruto animali facto vtilia ſe praebuerunt, in homine ſaepe nil praeſtent, poſita eſt in affectibus animi et metu imminentis periculi, quo bruta vacant. Hac prima obſeruatione variis quoque de herniis, tumoribus ſaccatis, abſceſſibus, de mutationibus ſanguinis e vena miſſi cet. monentur. Abſceſſus ſaepe cauſticorum ope Noſter aperuit.

p. 61. Secunda obſeruatione de carie venerea oſſium cranii feliciter curata, tertia de fungoſo tumore ex
p. 70. oſſibus cranii carioſis propullulante, atque quarta
et 73. et quinta de carie cranii, et vlnae diſſerit, quae mala omnia feliciter curauit. Sequuntur variae obſeruationes circa tumores tunicatos exſtirpatos,
p. 93. et oſſium cariem. Obſeruatio nona ad fiſtulam lacrymalem pertinet, in qua os vnguis perforauit.
p. 106. Caput obſtipum ſine operatione topicis emollientibus, muſculo rigido et neruinis relaxato applicatis, reſtituit. Varias curationes in phimoſi a lue venerea orta factas recenſet. In retentione vri-
p. 133. nae puncturam perinaei felici ſucceſſu inſtituit.
p. 150. Vuulam nimis relaxatam exſtirpauit.
p. 167. Decima quinta obſeruatione plures caſus vul-
p. 236. nerum recenſentur, ſequenti vero Auctor Cl. de vulne-

vulneribus ſclopetariis agit et quaedam eorum exempla, quae ei in ſua praxi obuenerunt, recenſet. Deinde vlcerum varia exempla enarrat, inter quae varia ſunt, quae carcinomatica fuerunt. Teſtes ſcirrhoſos carcinomaticos fieri vidit. Vlcus fiſtuloſum ductus ſalivalis Stenoniani feliciter ſanauit. Quae ſequuntur capita aſcitem, fracturas oſſium et amputationem artuum attinent, vbi ſemper ex aliis ſcriptoribus multas obſeruationes et adnotationes ſuis Noſter immiſcuit. p. 249. p. 301. p. 312.

XVI.

IOSEPH IACOB PLENK Materia chirurgica *oder Lehre von den Würkungen der in der Wundarzney gebräuchlichen Heilmittel. Wien, in der Grüſeriſchen Buchhandlung.* 1771. 8. *Seitt.* 592. *mit der Vorrede.*

i. e.

Materia chirurgica, Autore Cl. IOSEPHO IACOBO PLENK.

Vtiliſſimum profecto hunc librum diſpeſcit Cl. Auctor in duas partes, quarum vna ſpectat vniuerſalem, altera particularem doctrinam de remediis externis. Ad primam partem pertinent adſtringentia, roborantia, ſtiptica, ſiccantia, emollientia, humectantia, obuoluentia, anodyna, ſuppurantia, attrahentia, repellentia, corrodentia, corrigentia, detergentia, conſolidantia, cicatriſantia, calefacientia, refrigerantia, reſoluentia, ſpecifica. Alteram partem efficiunt farinoſa, mucilaginoſa, oleoſa, pinguia, gelatinoſa, gummoſa, reſinoſa, bituminoſa, balſamica, auſtera, aromatica, amara, ſaponacea, acria, cauſtica, narcotica, acida, alcalina,

ſalſa, ſpirituoſa, oleoſa, aetherea, terrea, metallina, aquoſa, deplentia, mechanica.

p. 97. Nos de nonnullis ſingulis exempli loco videmus. Farina lini ſumme emolliens, maturans et anodynum eſt remedium externum. Lycopodium laudatur in dyſenteria et clauatum in aqua coctum externe pro lotione, et interne pro potu, ſpecificum eſt contra plicam Polonicam.

p. 101. Symphytum vino maceratum non conducit in inflammatione faucium, quoniam nimis conſtringit et ſuffocationem cauſat.

p. 131. Butyrum cacao non facile fit rancidum et maiorem habet reliquis oleoſis conſiſtentiam. Quapropter emplaſtra cerata et vnguenta eo butyro firmius cohaerent. Eandem ob cauſam vnguento Neapolitano quoque additur hoc butyrum, quoniam mercurius tum non adeo facile fundum petere poteſt.

p. 132. Emplaſtrum de ſpermate ceti reiicit Noſter ad lac repellendum, quoniam nimis emollit, affluxum lactis auget et inflammationem efficit.

p. 140. Albumen oui externe vſurpant obſtetrices ad inungendas manus, ſi venerea labe infectas in partu tractare debent. Membrana interna oui Noſtro videtur efficax conſolidans et cicatriſans eſſe e. gr. in vulnere corneae pellucidae. Nonnullis ab Auctoribus externe glandi applicatae membranae huic diuretica vis tribuitur.

p. 143. Gummi arabicum ſoluere mercurium, non autem ſanguinem reſolui eo ita praeparato, alia occaſione *) Noſter docuit. Porro id combinationi oleoſorum, pinguium et reſinoſorum corporum cum aqua ſeruit. Gummi ceraſorum conuenit

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 623.

conuenit cum gummi Arabico, non autem eſt vnum idemque.

Gummi ammoniacum cum aceto ſquillitico ad emplaſtri conſiſtentiam redactum in anchyloſibus, articulorum hydrope cet. a Noſtro cum Cl. CLOSSIO *) laudatur. Gummi guajacum laudatur remedium antiuenereum, Noſter vero ſine addito mercurio nullam morbi huius mutationem inde expertus eſt. p. 153.

Opopanax bonae indolis facile ſolui poteſt in aqua et ſiſtit lac, quod contra vermes laudatur. Externe aquam vulnerariam, non ſpirituoſam, et balſamicam hoc lac ſiſtit. p. 157.

Tinctura aloes externe caute vti oportet chirurgos, ne diarrhoea male afficiantur aegri, ſeu vti Cl. TISSOTVS obſeruauit, eadem pereant. p. 162.

Oleum camphoratum in atheromate pugni magnitudine Cl. WHYTT cum felici ſucceſſu externe adhibuit. Interne Noſter camphorae cum nitro coniunctae refrigerantem et diſcutientem vim tribuit. In nulla inflammatione certius et citius iuuat illa, quam in dyſenteria rubra ac praecipue larga diaphoreſi excitata. Item camphora mercurio iuncta facilitat tranſitum hydrargyri per minima vaſa. Si Noſter a mercurio gummoſo **) vertiginem et tremores in ſuis aegris obſeruauit, camphoratam emulſionem non fruſtra dedit. Interne camphora optime gummi Arabico ſoluta exhibetur, quod et Cl. COLLIN ***) confirmat. In oculorum morbis camphora in lapide diuino ſeu ophthalmico conducit. Praeterea autem reiicit Noſter eam in his morbis. p. 164.

*) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 648.

**) v. librum ſupra laudatum. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 623.

***) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 140.

p. 179. Lithanthraces *) non ſolum, vti Cl. MORAND iam retulit, ſeruiunt in balneis membrorum debilitati, articulorum morbis, contracturis cet.; ſed etiam oleum eius deſtillatum ſubſtitui poteſt oleo petrae, quod paululum ab eo differt. Ad balnea lithanthracum Noſter parum ſpiritus vini addidit, et in exemplo, ab eo memorato et genu morbum ſpectante obſeruauit, omne genu intra quadraginta et octo horas rubeſcere cum paruis veſiculis ſine magno dolore. Quo facto per idem temporis ſpatium ſiccis linteaminibus affectus locus obtegebatur et rubor euaneſcebat, balneo tum reiterato rubor et veſiculae rurſus apparebant. Quibus exſiccatis poſtea balneo lithanthracum ſine ſpiritu vini ita Noſter proſpere vtebatur, vt aeger intra tres ſeptimanas penitus ſanitati reſtitueretur.

p. 199. Herniariae tribuunt vim in viſus debilitate. Flores chamomillae in vlceribus ſphaceloſis proſunt et putredini valide reſiſtunt; interne contra ſcrophuloſas affectiones ſphacelumque laudantur. Puluerem florum chamomillae Noſter in ſiccis ſaculis cum camphora externe ſcrophuloſis tumoribus cum fructu applicuit. Lignum ſanctum ſine mercurio lui venereae non mederi videtur. Idem Noſter cenſet Noſter de ligno ſaſſafras. Eſſentiale oleum cinnamomi eſt corroſiuum et ideo in carie oſſium

p. 274. externe laudatur. Vuae vrſi effectus in veſicae paralyſi Noſter laudat et ad Cl. MVRRAY commentationem de arbuto vua vrſi **) Lectores amandat. Flores arnicae ***) in paralyſeos nonnullis ſpecibus ſunt ſpecificum remedium. Noſter paralyſin poſt cerebri commotionem relictam ita ſanauit.

A ſe-

*) v. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 248. Vol. XX. p. 338.
**) ibid. Vol. XV. p. 164.
***) ib. Vol. XXI. p. 142. it. p. 624.

A ſemine ſabadilli iuuenis, cuius caput illo contra pediculos conſpergebatur, delirabat, donec aqua illud abluebatur. Anglus chirurgus NORFORD vnguentum contra cancrum apertum laudat, quod conſtat ex ricini ſeminum ſucco expreſſo, ſaturno et mercurio albo praecipitato. Fermentum panis cum pauxillo aceti in infantibus idem praeſtat, quod ſinapiſmi in aetate adulta. Colchicum bis in hydrope articuli genu vtiliter exhibuit. Internum vſum cantharidum noxium Noſter obſeruauit. p. 338.

Infuſo croci tetanum, ex vulnere prope Achillis tendinem ortum, curauit chirurgus ita, vt per multos dies vulneris deligationem negligeret et vulnus deligatum tepido infuſo croci quotidie humectaret, quoniam ſingula deligatione per acceſſum aeris ſpasmi denuo exacerbabantur. p. 392.

Acetum terreas particulas reſoluit. Quapropter et calli regenerationem impedit, ſi nimis diu in oſſium fracturis externe adhibetur. Tophi autem podagrici, claui, verrucae aliaeque indurationes, inprimis circa pedem et eius digitos optime ope aceti tolluntur. p. 410.

Ex phosphoro, qui quoddam per phlogiſton mutatum ſal acidum eſſe videtur, praeparauit Cl. HANCKEWIZ, ignea materia ab eo ſeparata, remedium, quod omnes calculos veſicae vrinariae ſoluat et cum aquis deſtillatis mixtum ſine omni dolore poteſt in veſicam immitti. p. 418.

Cineres culinares tepide tumoribus articulorum ab initio cum fructu applicuit Noſter. Spiritus MINDERERI liquorem terrae foliatae tartari quoad vim ſubtiliorem et penetrantiorem ſuperat. Magnetis externum vſum, de quo alibi iam dixi- p. 424.

mus *), Noſter hic quoque commemorat. Cl. GOVLARD **) optime effectus plumbi diſquiſiuit.

p. 497. Inter omnes methodos mercurium exhibendi ſuam, quam ſupra cum arabico ***) gummi iam commemorauimus, Noſter praefert. Poteſt omnium aetatum ſubiectis, grauidis, debilibus ſecure exhiberi, quoniam hic mercurius gummoſus Cl. PLENKII nec valide agit, nec alia pericula minatur, vti reliquae methodi mercurium interne et externe cum corpore communicandi. Extractum gentianae cum ſolutione mercuriali gummoſa PLENKII laudatur contra morſum viperae vt antidotum ****). Hydrargyrum obeſt in omnibus omnino ſcorbuticis affectionibus.

p. 541. Faeces vini ſunt remedium roborans, diſcutiens et animali putredini valide reſiſtunt. Quapropter vna pars faecum cum duabus ſeu tribus partibus aquae mixta et paululum calide impoſita conducit in luxationibus, contuſionibus, fracturis cet. Periter coercet gangraenam et ſcarifatione ſimul in auxilium vocata, Noſter vidit hoc externo remedio ſolo ſeparationem corruptarum partium a ſanis et bonam ſuppurationem. Eandem vtilitatem hoc Ei attulit remedium in inueteratis vlceribus. Mereri itaque locum non inferiorem hoc in chirurgica materia Noſter aſſeuerat. Cereuiſia calida butyrata iuuat inflammationem mammarum ex lactis ſtagnatione et dicitur optime leniens in hoc caſu remedium.

Cl.

*) v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 102. it. ibid. Vol. XI. p. 556.

**) ibid. Imae dec. ſupp. I. p. 113.

***) v. ſupra p. 512. it. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 34. it. ib. decadis IIdae Suppl. II. p. 274.

****) vid. ib. dec. II. ſuppl. III. p. 442.

Cl. BAVMBACH *) aquam calcis laudat interne in carcinomate. Credit enim carcinomaticam materiam esse rancidam corruptionem tunicae adiposae et glandularum, et hanc rancidam carcinomaticam materiam esse acidae indolis, quoniam ea, cum oleo tartari per deliquium in vlcere cancroso tacta efferuescebat. Tentamina quaedam ei feliciter succesſere. p. 545.

Dum ventosas seu cucurbitas siccas contemplatur, Noster suadet, vt infantibus depressiones cranii ab casu per cucurbitulam, cui antlia pneumatica applicanda est, eleuentur. Forte et huc iuuaret Cl. STEIN **) instrumentum ad lac ex mammis euocandum. p. 567.

Vstionem cranii ***) in amaurosi cet. Noster reiicit, neque concedit illam, nisi in morsu animalium rabidorum et venenatorum. Recentiores ei substituunt moxam, cuius effectus Cl. POVTEAV ****) tradidit. p. 573.

In fine addidit Noster indicem Latinum et Germanicum.

*) v. ERVSD. diss. inaug. de curatione cancri occulti et aperti per aquam calcis viuae potam praestita. Praeside RVDOLPHO AVGVSTINO VOGEL. Gott. 4.

**) v. comm. nostr. Vol. XX. p. 101.

***) v. ib. Vol. XVII. p. 158.

****) v. comm. nostr. Imae dec. Suppl. I. p. 31. it. ib. Vol. XVIII. p. 130.

XVII.

IOHANN STEIDELE *Wundarztes und Geburthelfers Sammlung merkwürdiger und für Aerzte, Wundärzte, hauptſächlich aber für Geburthelfer und Hebammen nützlicher Beobachtungen von der in der Geburt zerriſſenen Gebährmutter mit Anmerkungen. Wien, gedruckt bey Joh. Thomas Edlen von Trattnern, Kaiſerl. Königl. Hofbuchdruckern und Buchhändlern.* 1774. 8. *m. K. Seitt.* 51. *auſſer den Vorbericht.*

Ebendeſſelben Nachtrag zur Sammlung merkwürdiger Beobachtungen von der in der Geburt zerriſſenen Gebährmutter mit Anmerkungen. Wien, 1775. 8. *m. K. Seitt.* 15.

i. e.

IOANNIS STEIDELE collectio notabilium et medicis, chirurgis et obſtetricantibus inprimis vtilium obſeruationum de rupto in partu vtero.

EIVSDEM additamentum ad hanc collectionem.

p. 1. Obſeruatio prima attinet grauidam, debilem, partum difficillimum ideoque artificialem expertam. Inter parturiendum oriebatur tantus ſtrepitus in vtero, vt adſtantes audirent et dolores ad partum iudicarent. Abſoluto hoc partu, debilitas aucta, pulſus celer et debilis, frequentes vomitus, ſitis inexſtinguibilis, abdomen nimis tenſum et admodum dolens cum reſpiratione difficili apparebant. Abdominis volumen magis magisque increſcebat et dolebat lochiis inſuper remanentibus. Venaeſectio inſtituta et clyſmata applicata omniaque auxilia nihil iuuabant ad puerperae mortem arcendam.

Cada-

Cadauere aperto, magna copia ſeri ſanguinei p. 11.
et aeris foetidi profluebat. Omentum, inteſtina et ventriculus inſigniter tumebant. Peluis impleta erat ſero ſanguineo. Vterum ruptum inueniebant ſecantes. Ruptura ex icone addita optime patet. Erat extrorſum ſex pollicum, introrſum tres pollicum ad craſſiorem vsque vteri ſubſtantiam. Longe amplius vulnus fuiſſe ante contractionem vteri Noſter ſuſpicatur. Vterus ex parte erat plane ſphaceloſus, ex parte maculas nigras et rubras prae ſe ferebat, et foetida atra putrilagine refertus. Ouarium ſiniſtrum cum tuba et ligamento lato, in dextro latere erant colore fuſco rubro. Ligamenta rotunda erant craſſa, naturali tamen colore praedita.

Secunda obſeruatio ſpectat quoque vteri vul- p. 15.
nus, quod non ſolum ſubſtantiam vteri, ſed etiam peritonaeum penetrauerat. Fetus erat praegrandis et pinguis, et ciuili pondere librarum viginti et quinque.

Nos obſeruationem tertiam et quartam eandem p. 27.
rem illuſtrantes breuitatis ergo praetermittere oportet et de annotationibus ſupra his obſeruationibus nunc breuiter videamus. Ac primum notabilis Noſtro videtur ex prima potiſſimum obſeruatione breuis duratio partus, quae non decem horarum ſpatium excedebat. Signa praeterea imminentis rupturae prorſus aberant. Cuius cauſſa Noſtro veroſimilis iudicatur haec: partus nimirum frequentes et ob anguſtiam peluis difficiles diuque durantes, et capita fortaſſe ob notabilem introrſum eminentiam ſacri oſſis oblique ſita, quae vterum in hoc loco premebant, extendebant, attenuabant et quaſi praeparabant, vt ille in hac parte partim per extenſionem fibrarum

fibrarum iam attenuatarum, partim etiam per preſſionem capitis, ab initio fortaſſe oblique ſiti, rumpi deberet.

p. 31. Signa rupti vteri autem erant manifeſta. Subito enim ortus et cum vehementiſſimis et diu durantibus ad partum doloribus ſtrepitus, quem clare adſtantes audiebant, ceſſatio dolorum ad partum, haemorrhagia ſubſequuta, fetus receſſio, cuius caput obſtetrix non amplius potuit tangere, ſenſatio parturientis, ac ſi fetus verſus ventriculum aſcenderet, ſufficientia et plus, quam veroſimilia ſunt ſigna rupturae vteri.

p. 35. Verſio fetus ſubitaque eius extractio forte vitam puerperae conſeruaſſet, cum rupturae huius cauſſa proxima non, vti alias ſolet, gangraena et ſphacelus eſſent, ſed gangraenam hic effectum rupturae iudicari oporteret.

p. 38. Signa iam factae rupturae vteri, quam alter obſeruatione Cl. Auctor illuſtrat, erant, collapſus duri et magni tumoris ſuper oſſa pubis et dolorum ad partum ceſſatio; poterat dein puerpera in vtroque latere iacere, quod antea ferre nequibat, erat tamen valde inſenſilis cet. Cauſam proximam huius rupturae quaerit Noſter in obliquo ſitu fetus et praecipue in nimia preſſione externa abdominis, quam omnino reprobat, potiſſimum ſitu fetus irregulari iam praeſente.

p. 46. Ex his obſeruationibus ſequentia ſigna imminentis rupturae Noſter colligit: quaedam per dimidiam grauiditatem et per partum durans et aucta dolorifica grauitas, vrens ſenſatio, nec non in abdomine inſolito vehementes, partum non promouentes et anxietatum et lypothymiarum vicißitudine coniuncti dolores ad partum; magnus et durus tumor externus ibi, vbi poſtea ruptura interne facta, tactum

factum non ferre poterat. Reliqua ab Auctoribus alias signa notata hic Noster non obseruauit.

Iam transeamus ad additamentum eandem rem exemplo probans. Rupturae vteri hic clara aderant signa. Poterant enim fetus membra externe per sinistrum latus abdominale accurate tangi. Abdomine sinistrorsum aperto, emanabat magna copia sanguinis tenuis, quem sequebatur caput fetus, qui erat octo mensium, paruus, ceterum sanus. Secundinae pariter extra vterum reperiebantur. Vterus antrorsum versus vesicam vrinariam vnum et dimidium pollicem latam rupturam habebat, vti ex addita icone patet. Vteri substantia ceterum erat sufficienter crassa, interna vero, inprimis circa margines vulneris non adeo cernebatur tensa. Ligamenta tubae et ouaria atro coerulea et obscure rubra erant. Peluis erat anguſtia. p. 1.

Omnes eius feminae partus difficiles erant. In hac grauiditate dolorem supra ossa pubis sensit et septem septimanas ante mortem in abdomen vehementer incidit, a quo tempore dolorem cum successiuo incremento animaduertit. p. 6.

Ex his obseruationibus patet, magnam esse vteri rupturae diuersitatem, nec vllum esse vteri locum, vbi ruptura eius fieri nequiret. In prima obseruatione vterus erat dextrorsum vnum pollicem sub orificio et quinque supra illud ruptus. In secunda obseruatione est vterus circa orificium ruptus, in tertia ruptura ab orificio vsque ad fundum vteri facta est et a vagina orificium erat separatum. In quarta obseruatione dextrorsum in vtero ruptio est orta, quae continuabat in vaginam. In quinta p. 14.

ruptura

ruptura reperiebatur antrorſum verſus veſicam vrinariam ſuper orificium, quod tamen erat illaeſum. Diuerſae itaque valde ſunt rupturae vteri, admodum periculoſae et hactenus fere ſemper letales.

XVIII.

D. IOHANN GEORG MODELS *Ruſſiſch-Kayſerl. Hofraths der Kayſerlichen Academie der Wiſſenſchaften und des Collegii medici, wie auch der freyen ökonomiſchen Geſellſchaft in St. Petersburg, der gelehrten Geſellſchaft zu Harlem und der Churbayriſchen Academie der Wißenſchaften Mitglied, der St. Petersburgiſchen Oberapotheken Apotheker, kleine Schriften beſtehend in ökonomiſch - phyſicaliſch - chymiſchen Abhandlungen. St. Petersburg, gedruckt in der Buchdruckerey des Kayſerl. Ad. Art. und Ing. Kadettenkorps und verlegt von I. K. Schnooer.* 1773. 8. *Seit.* 144. *ohne Vorrede.*

i. e.

Opera minora oeconomicos phyſicos chemicosque tractatus ſpectantia. Auctore C. IOANNE GEORGIO MODEL.

In prooemio Cl. Auctor cauſſas narrat, quae ad ſinguli tractatus elaborationem ipſum excitauerint, vbi cum de maceratione ſeminalis frumenti verba facit, ſimul nouas nonnullas et, vt affirmat certas obſeruationes de clauo ſecalino et lolio temulento communicat. Nempe in Tſchiliaba copioſe clauus ſecalinus cum ſecale creſcit, neque ab eo ſeparatur, et a pane tamen ne minimum quidem incommodum ſentitur.

Ex

Ex epiſtola, quam Cl. Auctor ex prouincia Ime- p. 11.
reti accepit, hanc nobis tradit obſeruationem. Lolium temulentum hic copioſe cum tritico creſcit, cum eo molitur et ſequentes effectus prodit; cephalalgiam, vertiginem, inſomnia et ſpaſmos in pedibus. Similes ſaepius effectus prodit mel ex Azalea pontica. Ex his probat Cl. Auctor, nociuos effectus, qui clauo ſecalino tributi hactenus ſunt, non in illum, ſed in lolium temulentum cadere.

In primo tractatu agit Cl. Auctor quoad ſani- p. 3.
tatem *de noxis vaſorum coquinariorum ex metallis praeprimis cupro confectorum.* Aurum et argentum per ſe quidem nil nocent; cum autem, praecipue argentum cum haud exigua cupri quantitate miſcetur, nulla acida, ſalina et fermentata ne per horam quidem in iis aſſeruanda ſunt. Maiorem attentionem requirunt vaſa ex ſtanno, cupro et plumbo, praecipue quoniam hoc vltimo et vaſa terrena ſeu argillacea imbuta ſunt: politura enim, qua haec vaſa interius obducuntur, ex arena et plumbo ſeu corporibus ſalinis, vti nôtum eſt, conficitur. Hinc declarandum, quid ſit, quod lac, butyrum etc. in his vaſis tam facile corrumpant. Nec minoris noxae eſt obductio vaſorum cupreorum ſeu aliorum cum ſtanno vel plumbo.

In fine huius tractatus ſummam eius Cl. Auctor p. 16.
ſub quatuor poſitiones cogit. 1) Nullum victum nec in vaſis argenteis, nec ſtanneis et cupreis, multo minus plumbeis aſſeruare. 2) Vaſa ex cupro et ſtanno confecta ſemper depurata, polita et praeprimis ſicca curare. 3) Obductionis iſtius vaſorum curam habere, ne ſtanno hic nimium plumbi adponatur. 4) Cum puluere peti nicotiani in capſula plumbea aſſeruati caute verſari, quoniam in ſuperficie huius puluerisatae nicotianae puluis albus ſeponitur, qui nil niſi calx plumbi eſt.

Sub-

Subnectit nunc huic tractatui nonnulla de vinis cum plumbo mangonizatis; Simul Cl. ZELLERI remedium tanquam optimum ad haec fucata vina
p. 21. cognoſcenda*) commendat. Nempe, Recipe auripigmenti Vnciam vnam et calcis viuae vncias duas, quodlibet ſigillatim puluerifetur, deinceps miſceantur; infunde in vaſe vitreo ſuper iſtum pulverem vncias duodecim aquae, circa aperturam vaſis vefica humida firmiter ligetur, et ſic per horas viginti et quatuor in locum ponas calidum, ſaepius autem peragitetur. Proportio calcis etiam mutari poteſt. In arena ignita quoque per ſemihoram, ſi ſtatim eo infuſo forſan vti vis, coquere licet. Tunc ſi defrigeſcit, puluisque ſe praecipitauit, et fluidum clarum euaſit, illud decantetur et ad vſum aſſeruetur. Vſurpatur ita, vt in vitrum vini inſtilles decem circiter guttulas. Si vinum mox colorem auſteriorem aſſumit, primum rubeſcit, deinceps fuſcum fit, tandemque nigreſcit, pro differentia harum mutationum ſaturni additamentum diiudicatur. Eodem modo cum butyro experimentum inſtitui poteſt. Ob ingratum odorem inſtituas hoc experimentum ſub coelo aperto. Optima remedia, quibus his venenis a cupro, plumbo et aliis inductis medeatur, ſunt, acetum, ſuccus mali citrei, oleum, butyrum et ſimilia. Signa, quae produnt venenum metallicum in corpore ſunt, colici dolores, vomitus, molimina ad vomitum, motus ſpaſtici imo conuulſiui mox poſt coenam ſine alia probabili cauſa detecta, percepti.
p. 25. Si tale quid ſentis, mox aſſumas menſuram duorum cochlearium ſucci ex malo citreo cum aqua mixti, ſeu vnum cochleare aceti; ſemi hora his aſſumtis praeterlapſa nonnulla cochlearia olei puri vel butyri recentis tepefacta aſſumas et per potum aquae tepidae vomitum cieas. Exemplum ad effectum plumbi nociuum probandum Cl. Auctor addit.

Ruſticus

*) v. comm. noſtr. Vol. VI. p. 313.

Ruſticus nempe lignum ad panem in furno coquendum ſumſit a ſepimento quodam, cum ſaturnino praeparato colorato. Venenoſus plumbi vapor panem calidum adeo ingreſſus eſt, vt nouem, qui panem, poſtquam refriguit, ederunt, grauiſſimis ſymptomatibus affecti ſint, duo ex his obierunt, ſeptem reliqui, tandem cauſa detecta, curati ſunt.

Secundus tractatus continet meditationes phy- p. 29.
ſico-chemicas, *de naturali ſeminalis frumenti emendatione et inde oriunda iſtius auctione.* Fit haec emendatio per macerationem. Materia ſumitur ex lacu ſtercoris. Per vnam noctem ſeminale frumentum maceratur dein cum calce, quae fermentationem foſſilem experta eſt, copioſe conſpergitur et habita terrae ratione deſeritur. Duo hic potiſſimum conſideranda ſunt, a) maceratio ſeminis in lacu ſtercoris, b) et conſperſio cum calce fermentationem foſſilem experta. Illud, quod fimo vim ſuam praebet, eſt principium nitroſum. Lacus nunc laetaminis ſubtiliſſimum et concentratiſſimum fimi eſt. Calx illud hic eſt, quod reſolutionem et volatiliſationem pinguium et oleoſarum partium fimi promouet, et, quo minus poſſint auolare, impedit, principiumque nitroſum ſuſcipit, et cum plantis communicat; igitur vtraque non poſſunt, niſi vtilia eſſe.

Macerationem ergo pro peculiari fimo Cl. Au- p. 37.
ctor habet. Calx autem hunc fimum efficaciorem reddit. Semen maceratum per terram calcaream a humido ſuo ſuperfluo liberatur, hinc haec terra facultatem nacta eſt pingues partes reſoluendi, et, adiuuante aëre, in principium ſalinum commutandi, et hoc illud eſt, quod alii ſal aëreum nominant. Sub fine huius tractatus nonnullorum virorum eruditorum ſententias de origine perſequitur.

p. 47. Tertius tractatus agit *de ſpiritu ardente modoque impediendi, quo minus empyreumaticus et inde quoad odorem ſaporemque nauſeoſus euadat.* Denominatione et hiſtoria ſpiritus vini praemiſſis, de fermentatione Noſter diſputat. Vegetabilium ad fermentationem aptarum nonnullas claſſes conſtituit, prout magis minusue ad fermentationem apta videntur. Ad primam omnes illos fructus refert, qui maturi expreſſi tenues, parum mucilaginoſi continentes, dulce, ſuaue et neruos irritans ſalinum oſtendunt. Refert hic vinum, fructus horaeos, baccas. Ad alteram claſſem illos refert ſuccos vegetabiles, qui vel per naturam vel per artem ſicci ad nos veniunt, vti mel, manna, ſaccharum etc. Ad tertiam claſſem omnia frumenti et leguminum nonnullaque radicum genera refert.

p. 81. Ad caloris gradum determinandum loco tactus cum manu thermometrum quoddam ſuadet; et quidem globum cum canali anguſto, qui vel cum ſpiritu vini colorato vel mercurio viuo ad quandam altitudinem impleri debeat: hic etiam vſurpari poſſet ad calorem laboratorii definiendum. Ne ſpiritus aduret, fundibulum cribroſum, ex filamentis orichalci confectum, in veſica aenea ad altitudinem vnius circiter pedis ſupra ipſius veſicae fundum figere ſuadet. Spatia cribroſi huius fundibuli anguſtiſſima ſint. Veſica ad hoc vſque fundibulum cum aqua feruida impleatur. Ignis aequalitatem ante omnia hic commendat.

p. 105. Quartus tractatus diſquiſitionem phyſico chemicam *aquae Newae* continet. Quoad pondus et aërem aquae fontanae ſimilis fuit. Omnia reagentia ad illam ita ſe habuere, vti ad aquam deſtillatam. Deſtillauit Cl. Auctor libras aquae octoginta, ex his ſex in retorta relictae, flauae fuere, quae, ſyrupo addito

addito violarum, aquam indeſtillatam non mutante, viridem colorem aſſumſerunt. Terrae grana ſexaginta et octo ex magna illa ſuperius dicta quantitate obtinuit. Varia cum hac terra experimenta inſtituit, et ex omnibus probat, aquam ex Newa fluuio puriſſimam eſſe.

In quinto tractatu diſquiſitionem chemicam *aquae Briſtolienſis* tradit. Quoad aërem illi ex Newa aequalis fere eſt. Oleum tartari per deliquium, cum aqua hac mixtum, nubeculam albam poſt paucas horas ſepoſuit, imo ſpiritus ſalis ammoniaci cum aqua paratus et alcali minerale ſolutum turbida euaſerunt; ſyrupus violarum et aquilegiae poſt mixtionem colorem viridem oſtenderunt. Selenitem, et per euaporationem cryſtallos rhomboidales pondere ſex granorum, verum ſal mirabile repraeſentantes, accepit. p. 119.

Sub fine tractatus duas diſcernit quaeſtiones. p. 126.
1) Vnde ſelenites oriatur? Ad hanc quaeſtionem ſecundum ſententiam omnium eruditorum reſpondet; nempe ex acido vitriolico et ſubtili terra calcarea. 2) Num tanquam ſelenites in aqua iam ſolut vel ope ignis generetur? Et hic vltimum aſſumit et demonſtrat.

Vltimus tractatus *methodum ſalis purificandi* tradit. Calcinationem ſalis Cl. Auctor reiicit, et optimam ſalis purificationem per ſolutionem in aqua feruida cum filtratione et cryſtalliſatione fieri affirmat. p. 135.

XIX.

D. IOHANN GEORG MODELS *Entdeckung der Selenite in der Rhabarbar. St. Petersburg. Gedruckt bey der kaiſerlichen Academie der Wiſſenſchaften* 1774. 8. *Seitt* 16.

i. e.

Obſeruatio de ſelenite in rhabarbaro. Auctore IOANNE GEORGIO MODEL.

p. 1. Nuper iam Cl. MODEL, cum experimenta chemica cum corallina vulgari officinali communicabat in actis Harlemenſibus *), quaeſtiones mouit, quae eſſet origo terrae calcareae in corallina, an ex alcalina ſalia vel ex iis ea ipſa terra oriretur? quomodo, ſi ad zoophyta pertinet, terra calcarea ab oſteocolla diſtingueretur? Demonſtrauit enim Cl. MODEL plurimam ſubſtantiam muſci corallini ſeu corallinae eſſe calcaream terram. Atque omnino Noſter putat, occaſione ſalis Perſici, vere alcalini, quocum etiam fecit pericula alcalinam terram ineſſe poſſe ſali, quae tam proprietates volatilis pariter, ac fixi alcali in ſe contineret, inprimis cum ea natura ſalem ammoniacum cryſtalliſatum ſine igne, et vti probabile eſt, ſolummodo mutatione partis alcalinae producat, quam originem terrarum calcarearum eſſe, praeſertim cum in omnibus propemodum vegetabilibus cineribus calcarea terra ſit. Reiterata porro experimenta cum vua vrſi, chinae aliiſque roborantibus et adſtringentibus, quae communicauit Cl. Auctor cum amico propter tinctoram tonicam *Beſt. Lamothe* dictam et alia tentamina cum argillacea et aluminoſa terra inſtituta confirmarunt. Eius ſententiam, alcalinam terram primordialem ſalis eſſe originem multorum corporum ſalino-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 204.

ſalinorum, terrarum et lapidum. Similem in modum coniecerunt Cll. MARGGRAFIVS, RETZIVS *) et GAVBIVS **), qui experimenta circa tartarum vini et eius acidum inſtituerunt et in aqua marina ſelenitem inuenerunt.

Haec ipſa autem tractatio, cuius ſummam hic p. 5.
communicamus cum Lectoribus, agit de ſelenite, terra calcarea, gypſo ſimili, in rhabarbaro. Fortuito nimirum caſu, dum teritur a pharmacopoeo rhabarbarum, detegitur ab eo arena alba, quam offert b. MODEL diſquiſitioni. Haec arena erat primo intuitu terra calcarea.

En vero tentamina vlterius inſtituta: quatuor p. 7.
librae rhabarbari optimi, vti ſolent, elutriabantur et fundum petebat puluis albus, qui diligenter abitus et ſiccatus ſex vnciarum pondere erat. Sex drachmae eiusdem cum puluere carbonum mixtae, cementatae et calcinatae fuerunt, et inter calcinationem ſulphuris odor ſpargebatur. Maſſa refrigerata in aqua calida ſoluta colata acetoque deſtillato tentata, verum apparebat ſolito cum foetore ſulphuris magiſterium. Tres drachmae huius ſeleniticae terrae cum nouem drachmis puri ſalis tartari ſex vnciis purae aquae digeſtae vſque ad coctionem, colataeque mutabantur poſt euaporationem lenem in cryſtallos puri tartari vitriolati. Totidem terrae cum eadem portione alcali mineralis et ſodae mineralis mixtae ſiſtebat ſal mirabile.

Vncia ab vna huius terrae per ignem tentatae p. 8.
et demum frigefactae remanebant drachmae duae et ſeptem grana. Erat albidior et calcarea haec maſ-

*) v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 405.
**) v. ib. Vol. XVIII. p. 469.

ſa ſoluebatur in acido vitrioli parum, in acido autem nitri et ſalis prorſus ſine vllo ſedimento. Quo vetuſtius eſt rheum, eo plus ſelenites in ſe continet. Ex tali fruſtulo rhei pondere duarum atque dimidiae unciarum et vnius drachmae accepit Noſter vnciam vnam ſelenitis, praeter id ſubtile, quod prorſus ſeparari a rheo nequit.

p. 9. Cineres ex vili rhei ſpecie parum erant alcalini, vti ex tentaminibus patet.

p. 10. Quo facto de rhabarbaro Muſcouitico agit et laudat b. IOANNEM GEORGIVM GMELIN *), qui rheum officinale accurate deſcripſit tam botanice, quam medice.

p. 11. Iam de praeſentia ſelenitis in rheo erat Noſter perſuaſus, dubitat autem, vtrum ea in omnibus ſpeciebus rhei ſtatim adſit, an dein ſuo tempore per praeſentiam calcareae terrae oriatur. In rhabarbaro vero palmato Petropolitano, quod tam per microſcopium, quam per ipſum intuitum multas albas tales particulas in ſe continebat, nulla vestigia ſelenitica Noſter reperit.

p. 12. Nunc quaeſtionem mouit Noſter, vnde proueniat haec multa calcarea terra, et vtrum ea vt ſelenites oriatur, an quaſi cum planta ipſa maturetur. Iam ſupra Cl. Auctor terram ſalis vt originem terrae calcareae conſiderauit et ea propter videbatur Noſtro, alcalia ſeu lixiuioſa ſalia vbique poſſe eſſe, inprimis vero vegetabilibus ineſſe, quorum praeſentia et ante incinerationem vegetabilium hodie non amplius negatur. Suſpicatur enim b. MOREL, ſal commune penitus decomponi poſſe, et alcali-

nam

*) v. EIVSD. progr. ſiſtens rhabarbarum officinale. Tobras. 1752. 8. it. CARTHEVSERI Mat. med. edit. II.

nam ſubſtantiam, quae alcali minerale proprie eſt, ſiſtere, quod alio atque alio modo tentatum, melius, purius atque vegetabili alcali propius ſimiliusque redditur. Nam terrarum ſubtilitas efficit alcali mineralis atque vegetabilis differentiam.

Vnde acidum vitrioli, quod ſelenitem in rheo ſiſtit, oriatur, dictu eſt difficile. Suſpicatur vero Noſter, ſal tribuere vegetabilibus calcaream terram, quae magis ſubtiliſata ſolubilior reddita et acido iuncta mutatur in alcali minerale, vti Cl. GAVBIVS *) in pipere reperit. Continuata autem hac mutatione atque omni cruda terra calcarea ſeparata, alcali vegetabile, vti ex cremore tartari patet, ſiſtitur. Mentionem hic fecit Noſter Cl. CRONSTAEDTII **), qui contrarium in modum ſentiebat. p. 14.

Quod ſi vero ſal communis in vegetabilibus plane tolli et mutari poteſt, videtur maxime conſentaneum, acida ſalis aliam naturam et proprietatem nanciſci poſſe. Non ſemper hic opus eſt chemicis auxiliis, ſed natura ipſa. p. 18.

Quid profit ſelenites in humano corpore hic non curat Noſter, ſed relinquit hoc medicis. Cl. Auctoris ſenſibili corpori non conduxit. Contra diarrhoeam et dyſenteriam laudant veteres ſelenitem. p. 20.

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 474 et 80. ſupra p. 527.
**) ib. Vol. X. p. 347.

XX.

ALBRECHT THAER diſſ. inaug. de actione ſyſtematis neruoſi in febribus, die XVI. ma. 1774. Gotting. litteris Io. Chriſt. Dieterich 4. pagg. 107. praeter dedicationem.

Licet haec elegans atque docta diſſertatio limites his libellis academicis poſitos inſigniter exceſſit, tamen fatetur Cl. THAER, ſe oportuiſſe multa omittere. Aſſerit autem ea nec illuſtrare nec obſcuram reddere poſſe ſuam, quam hic vult, rem. Placuit Noſtro nempe de febris ac phaenomenorum eius eſſentialium origine, quatenus a neruorum actione repeti poſſit, hic docte diſputare, vultque hanc theoriam dein in altera parte, quam pollicetur nosque auide exſpectamus, ſingulis febrium generibus earumque curationi accommodare atque ita de iis copioſius exponere.

p. 6. Theoria et empiria omnino conſideratis, demonſtrat Noſter verae theoriae vtilitatem et poſſibilitatem. Locupletiſſimum enim cum iam habeamus phaenomenorum hiſtoriam, ſi ad iſta rite attendimus et collata probe examinamus, ad motuum cognitionem facile perueniemus, ex his autem ad vires mouentes, ex effectibus ad cauſam, ex cauſis particularibus ad generales concludere licet, donec tandem ad generaliſſimas, ad ipſam naturam, ventum ſit. Si quidquam in factorum hiſtoria forſan deſideraretur, ille defectus, accuratiore adhibita attentione et inſtitutis experimentis, ſupplendus poterit. Hanc viam a VERVLAMIO inuentam, quam NEWTONVS et HALLERVS ſunt ſecuti, ſi ingrediamur, fieri non poſſet non, quin natura in dies recluderet incognita huc vſque myſteria, aperiret

qua

que nobis, quibus viribus agat, quomodo vitales producat actiones, quibus commota cauſis praeternaturales et peruerſas exſerat, tum et innoteſceret, quibus remediis cauſae morborum remoueri, actiones laeſae reſtitui et vires vitales, a naturali aberrantes tramite, in rectum duci queant. Neque tamen ſymptomatum obſeruatione et remediorum, quae interdum ſub ſimili ſtatu opem tulerunt, applicatione contenti eſſe debemus, ſed inquiramus vlterius neceſſe eſt, quae ſint actiones, vnde morboſa iſta profluant phaenomena? qua ratione turbatae ſint illae? quae vires mouentes peccent? quo modo tandem agant adhibita medicamenta? Atque ſic ad inſignem certitudinem deduci poſſe medicinam credibile eſt.

Tum Cl. Auctor differit de irritabilitate, ſenſi- p. 10.
bilitate et arctiſſimo earum connubio. Diuerſas tamen aſſumit duas has vires, licet arctiſſimo nexae ſint vinculo. Variis enim phaenomenis ſe manifeſtant et variis organis exſeruntur. Muſculari fibrae irritabilitas vnice tributa, motuum immediata exiſtit cauſa et nerui per ſe nihil quidquam niſi mediante viua fibra, mouere poſſunt. Haec vero abſolutiſſimum agnoſcit neruorum imperium, ſic, vt non ſolum a neruo in actum ſtatim ponatur, ſed et aucta huius ſentiendi facultate, muſcularis fibra maiorem acquirat irritabilitatem, et ideo ſi ſtimulatur, motus edat vehementiores. Hanc vitalem vim, muſculari inſitam fibrae, Ill. HALLERVS accurate perueſtigauit, a qua actiones animales et functiones motu perficiendas omnes pendent, omnis ab illa corporis oeconomia animatur, ea ſimul cum neruoſa vi eſſentiale inter machinam viuumque corpus conſtituit diſcrimen, ea ſublata, nulla ſupereſt vita.

p. 14. Iam tradit Noſter irritabilitatis conſiderationem pathologicam. Quam diu haec manet integra, tam diu omnes functiones in corpore rite peraguntur. Quod ſi vero irritabilis vis omnium fere actionum cauſa a naturali norma recedit, totum corpus turbari facile intelligitur. Quapropter pathologos pariter irritabilitatem attendere oportet ac phyſiologos, vti et Ill. GAVBIVS in pathologiae inſtitutionibus non nuper fecit et nouiſſime Cl. WEIS *) hoc argumentum in ſua diſſertatione pertractauit.

p. 17. Totius corporis conſenſum ex neruis iam diu ante WILLISIVS probauit et inter recentiores multis exemplis confirmauit Cl. ROBERT WHYTT **). Sympathia autem eſt *primo:* ſi ſenſatio fit, ac ſi praeter affectam partem alius locus ſimul afficeretur: haec ſenſatio nunc ſimilis eſt ei, quae in ipſa affecta parte fit, nunc plane diuerſa, ita, vt moleſtus ſenſus fiat in conſentiente parte, licet pars ſtimulata grate afficiatur; et contra in affecta parte nullus ſaepe ſtimuli ſenſus; in conſentiente vehementiſſimus. *Secundo* ſympathia motibus ſe oſtendit, qui in parte conſentiente, muſcularem vim poſſidente, plerumque ſuſcitantur, ac ſi ipſi ſtimulus immediate applicaretur. Et eiusmodi motus quandoque ſine omni mentis conſcientia fiunt, ita, vt doloris nec in affecta parte ipſa, nec in conſentiente perceptionem habeat. Alio tempore, cum dolor vehemens adeſt, motus nulli producuntur. Denique ad ſympathiam referendum erit, ſi a ſtimulo in remota aliqua parte noui quidem motus non ſuſcitantur, qui vero iam adſunt, inuertuntur et abnormes fiunt.

Sympa-

*) diſſ. de irritabilitate morborum genitrice praeſ. Cl. BALDINGER. Gotting. 1772. 4.

**) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 223.

Sympathia eſt reactio ſenſorii a ſenſatione phy- p. 21.
ſica praegreſſa excitata. Fit nempe in ſenſorio ſen- p. 23.
ſus, in mente perceptio; huic eſt voluntas, illud voluntatem exercet, motus actionesque exſerit. Senſorium edit duplicem facultatem, ſentiendi nimirum et mouendi absque omni animi conſenſione. Senſorium duplici potentia in actionem ponitur, a libera animi voluntate et actione phyſica cet. Sympathiae ſunt vel naturales vel praeternaturales. Hoc patet exemplis hypochondriacorum et hyſtericorum, quorum neruoſum genus a naturali aberrat ſtatu indeque ii vitioſam eiusmodi conſenſionem frequentius oſtendunt. Adeſt e. gr. quaedam pars in quibuſdam corporibus, cui prae aliis morboſe conſentitur et quae corpore in quacunque regione ſtimulato, irritatione afficitur. Partis illius laxitati vel debilitati vulgo quidem hoc tribui ſolet, vera autem cauſa ex neruorum hanc partem ingredientium *vi ſentiente*, ad impetum promiori et inde a quauis ſenſorio inducta mutatione facile excitabili, repetenda erit. Senſorii porro impetus, ſtimulo ſublato, continuatur.

Tum progreditur Noſter ad neruorum pote- p. 30.
ſtatem in organa vitalia demonſtrandam, et magis magisque ad ſuam ideam febris ſtabiliendam ſeſe praeparat. Quae in eo cernitur, vt febris ſit ille effectus, qui ex vitalium neruorum ſuſcitato impetu indeque aucta cordis et arteriarum irritabilitate immediate profluit. Horret primum omne corpus in febre, dein aeſtus vrget, donec tandem deleto fere in neruis febrili charactere omnia remittant phaenomena, ſudore aequali madeat corpus eique aliae excretiones contingant, quibus materia vitioſa vel ante febrem iam extans, vel in ipſa ea demum generata eiiciatur et febris ſoluatur. Haec

vero

vero phaenomena accuratiori ſubiecit examini, poſtquam febrium cauſas et aptitudinem ad ſuſcipiendam eam conſiderauerit Noſter.

p. 47. Refrigeratio ſubitanea praeſertim inter frequentiſſimas febrium cauſas refertur. Differt vero haec quoad eius gradum et corporis ſenſibilitatem. Ita in calidiorum regionum incolis, quibus neruoſum ſyſtema longe mobilius maiorque ad ſpaſticos morbos diſpoſitio, a nocturna refrigeratione tetanus ſolemnis eſt; noſtra corpora autem eum vſque in gradum, niſi omnem modum excedat refrigerium, tantum ſtimulari videntur, vt irritabiliora vitalia organa ſpaſmus vnice inuadat et febris producatur, cum partium quarundam inflammatione plerumque coniuncta; ſimili modo in illis a vulnere tetanus exoritur; nos vero febre tantum affligimur.

p. 52. Quamquam Noſter SANCTORII experimenta et alia huc ſpectantia de inſenſibili perſpiratione in dubium vocat, tamen omnes noxas ſuppreſſae tranſpirationis non negat; omnino eam corpus grauare et variis morboſis affectionibus anſam dare poſſe lubenter largitur. Plurimorum etiam catarrhalium febrium ortus inde deducendus videtur, vt inſpirationis auctae, quod Anglis vulgo frigus ſuſceptum adaequate dicitur, omnino ratio habenda ſit, ſicut egregie oſtendit IAC. KEIL. Sed febres inflammatorias acutiſſimas a momentanea quadam refrigeratione exortas retentae tranſpirabili materiae tribuere non vult.

p. 53. Animi affectus non raro ſunt febrium cauſſae occaſionales. Iam ipſa eorum phaenomena brevior febris dici poſſent. Sic ira diuturna bilioſam febrem in omni corpore procreare poteſt, et amo-

rore

rore ex infelici amore concepto, veram lentam nervosam Anglorum et quidem exitialem Noster obseruauit.

Praedispositionem ad febrem Noster nunc considerat, quae cernitur in praeternaturali neruorum vitalium sensibilitate. Haec ipsa a natura non adest, nec pendet a singulari sensorii organismo, sed in eodem homine nunc adesse potest, nunc abesse, vti et alias partes non semper, sed quandoque tantum consentire obseruatur. Causae profecto adsunt tam externae, quam internae, a quibus haec vitiosa dispositio inducitur; cum vero mutationum in sensorio factarum, ratio plane lateat, latebit etiam causarum illarum agendi modus. Patet tamen istis rebus, quarum insignis in neruosum systema potentia cognita est, vitiosum hunc sensorii tenorem tribuendum esse, praesertim cum constet, corpora ab iisdem febribus reddi obnoxia. Principem inter has locum tenet aër tam in mutando sensorio, quam in producendis epidemicis morbis. Missis itaque reliquis causis praedisponentibus febrium, potissimum hic spectat ad epidemicam constitutionem, atque de aëris in neruosum systema influxu edisserit Cl. Auctor et epidemias ex aëris constitutione occulta repetendas esse cum SYDENHAMO monstrat cet. p. 54.

Venimus ad symptomata febris essentialia. Calor in morbis auctus vel imminutus ex circulatione accelerata et retardata non deriuari debet. Vnde vero febrilium aestuum causa repetenda sit, ignorat Noster. Missis igitur, quae hypothetice ex ortu caloris afferri possent, certam et constantem eam legem, qua semper inter virium vitalium fortitudinem et caloris gradum aliqua obseruatur proportio, contemplari vult Cl. Auctor. p. 70.

Febris

p. 87. Febris nunc decurſus et quae in illum incidunt cruditatis, coctionis et criſeos tempora conſideranda veniunt. Variis variorum doctorum virorum ſententiis praemiſſis, ſuam hac de re ſententiam proponit, ſecundum quam benigna illa ſymptomatum et febris ipſius remiſſio, quae inſtantem plenariam ſolutionem praecedit et quam recentiores ſub coctione intelligunt, non humoribus, ſed ſolidis, ab actione ſua intenſa remittentibus tribuenda eſt. Quapropter quoque illud febris ſtadium, quod coctionis a nonnullis nominatur, mauult Noſter dicere irritationis ſtadium. Omnia enim in hoc ſtadio phaenomena ſolidorum praeternaturalem actionem, vaſorum ſpaſmum et affectos neruos per ſe indicant. Atque in hoc ſpaſmi et intenſae irritabilitatis remiſſione verus ponendus eſt character coctionis. BAGLIVIVS *) plurimum in hoc opere ſolidis iam tribuens ait. "Coctio humorum in laxitate aliqua ſolidorum vel liquidorum conſiſtit, cruditas vero in contractione ac veluti in confuſione et ſtrangulatione eorundem. „

p. 103. Vltimo loco Cl. Auctor diſputat de criſi et euacuationibus criticis. Criticas euacuationes non producit, vti Noſter contra alios dicit, naturae actiuitas viriumque vehementior impetus. Nunquam enim vere criticae euacuationes in ſumma febris vigore contingunt, quin potius ſub hoc ſtadio omnes excretiones ſupprimuntur, neque in ipſam, ſi aliqua ſit, criticam perturbationem incidunt; prodire autem incipiunt praegreſſis coctionis vel reſolutionis ſignis, cum omnia iam ſymptomata remiſerunt, vaſorum motus ad naturalem rediit normam cet. Sunt itaque hae euacuationes non ſolutionis cauſa, eiusdem potius effectus.

XXI.

*) v. Canon. de medicina ſolidorum XXXVIII.

XXI.

Noua phyſico medica.

Regia ſcientiarum et artium academia *Metenſis* ei nummum aureum quadringentarum librarum tribuet hoc 1776. anno finito, qui exhibuerit *optimam rationem, iuxta quam vitis recte coli debeat*, ita, vt ipſius vigor conſeruetur, neque tamen qualitas vini imminuatur, et quaeque facile in vineis cultis ac in iis, prima vice colendis, exequi poſſit ſitque accommodata climati ſoloque Metenſi, minuſque ſumtuoſa ea, quae hactenus illic fuerit adhibita; qua exercita, vitis ſemper ſit aeque fertilis, atque magis a grandine defenſa, foliaque eiusdem minus corrumpantur aduranturque, et vuae ſint minus deciduae fiantque maturiores.

(*Le meilleur ſyſtême ou projet raiſonné d' une culture de la vigne propre à la maintenir toujours en vigueur, ſans nuire à la qualité du vin; egalement praticable dans les terreins à planter nouvellement en vignes & dans ceux, qui ſont plantés depuis long tems, convenable à la temperature & au ſol du pays Meſſin; moins diſpendieuſe que celle, qui y eſt uſitée & par la quelle la vigne ſoit d' un egal produit plus à l' abri de la grele, les feuilles moins expoſées à rougir & à ſe bruler, les raiſins moins ſujets à couler & plutôt mûrs*).

Elaboratio ipſa ſit breuis ita tamen, vt culturae habeatur ratio ac ſolutis vectigalibus ad Cl. DUPRÉ DE GENESTE, qui Academiae ab epiſtolis perpetuo eſt, mittantur. Reliquas cautiones conuenire cum aliis Academiis alibi *) iam a nobis eſt notatum.

Acade-

*) v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 694.

Societas Electoralis physico oeconomica, quae *Manhemii* *) floret, in publico conuentu die 29 octobris anni 1775. quaestionem pro anno 1776. proposuit; quaenam sit origo et natura *boleti igniarii et agariti campestris* LINNAEI. Praemium erit consuetus nummus aureus quinquaginta aureos aequans.

Experientissimus atque Excellentissimus CHRISTIANVS EHRENFRIED WEIGEL Facultatis Medicae Adiunctus **) in Academia Gryphiswaldina, nunc *ibidem* chemiae ac pharmaciae Professor est designatus.

Viri Experientissimi STROMEYERVS et BLVMENBACHIVS in Academia *Gottingensi* extraordinarii medicinae professores sunt nominati. Praeterea et Cl. BLVMENBACHIVS subinspector musaei academici et prosector anatomiae est factus.

Cl. PHILIPPVS LVDOVICVS STATIVS MÜLLER historiae naturalis Erlangensis Professor cet. inprimis ob systema naturae CAROLI LINNAEI ad editionem XII. ductu Belgici Houttuyniani libri explicatum ac reformatum, quod alibi iam laudauimus ***) Knorrianasque delicias, aliosque libros, clarus, apoplexia mortuus est anno aetatis quinquagesimo primo *Erlangae*.

Cl. IOANNES HILL viris eruditis non ignotus ad finem praeteriti anni 1775. *Londini* desiit viuere.

Arimi IANVS PLANCVS, qui et appellatur GIOVANNI BIANCHI, sub quo nomine et varia scripta a nobis sunt in his commentariis recen-

sita,

*) v. comm. nostr. Vol. XIX. p. 550.
**) v. ib. p. 367.
***) v. comm. hor. Vol. XX. p. 29.

ſita *) aetatis anno octuageſimo die 3. decembris 1775. vitam cum morte commutauit.

GVSTAVVS HARMENS, Holmenſis, cuius obitum iam alibi **) retulimus, natus eſt d. 4 Noubr. 1699. patre *Henrico Harmens* Mercatore et matre *Magdalena Förne*. Inſtructus eſt Noſter in domo paterna Praeceptoribus priuatis, moderatore atque duce academiae Vpſalienſis tunc temporis Profeſſoris maxime inclyti I. A. BÉLMANN. Aetate magis profectus ad ſtudium medicum capeſſendum excitabatur potiſſimum ab affine, S. R. M. Archiatro ordinario MATTHIA VON RIBEN, ad quod recte diſcendum bene praeparatus et inſtructus eſt a Cl. ANDREA PRYSS Prof. Aboenſi. Matheſin didicit ab Ill. ERICO BVRMANO, poſtea Profeſſore Vpſalienſi. Anatomiae Holmiae ſtuduit praeceptore Excellentiſſimo BROMELL, qui eximia cum eruditione et ſummo cum plauſu ibidem anatomiam docebat. Anno ſequente adibat Vpſalienſes doctores et profeſſores, exinde vero euocabatur ad congreſſum Brunſuicenſem, ob pacificationis negotium vigente aeſtate anni 1720. habitum

Paulo poſt iter illud inſtituit, et praeter oppida Sueciae breui tempore ſalutauit Lubecam, Hamburgum et Bremam, Brunſuigae vero per annum commoratus eſt. Quo facto domum ſe contulit, integram Daniam interea perluſtrans. Holmiae tum ad munus ſibi oblatum ſeſe accingebat obeundum, quo ipſe tenebatur curam gerere, vt ſaeuientibus morbis contagioſis in variis prouinciis, non peſtiferis tamen, ſuppeterent ſumtus pro

*) vid. comm. hor. prim. decad. indicem triplicem Vol. XI. p. 43. XVI. 533. XVII. p. 584. XVIII. p. 539.

**) v. comm. noſtr. h. Vol. p. 347.

pro alendis et curandis pauperibus, ne ipsi perirent, nec ex eorum commercio vel intacti luem contraherent.

Interea rursus sentiit antiquam suam propensionem erga Medicum studium suppressam quidem, non tamen prorsus extinctam, quae res effecit, vt abdicatis publicis muneribus, impensis suis incipiente anno 1722. iter ad Lugdunensem in Batauia Academiam susciperet, vbi per triennium solida informatione Magnorum Medicorum BOERHAAVII, ALBINI et S. GRAVENSANDE Ei licuit vti. Horum virorum doctrina itaque imbutus per Syluam Ducis, Traiectam ad Mosam, Aquisgranum, Spadanum, Leodicum, Lowanium, Bruxellam se contulit. Exinde per Hannoniam Galliam versus properabat, Lutetiae Parisiorum per biennium moraturus. Hic sedulo interfuit exercitationibus anatomicis chirurgicis et chemicis. Potissimum inter chirurgos in nosocomiis hospitii dei et caritatis dictis, secutus est Viros Clarissimos THRIBAVT et CHIRAS, in Horto Regio DUVERNEY. Fautores inprimis habuit Professores Regios, WINSLOVIVM et DVVERNEYVM tunc emeritum, anatomicos insignes, nec non GEOFFROY Chemicum eximium, cuius lectiones in horto regio audiuit, simul experimentorum a Cl. BOVLDVC institutorum felicem successum ipse vidit.

Absolutis, quae in Gallia expedienda sibi proposuerat, Caleti nauem conscendit, peregrinantem in Angliam vecturam, vbi septem menses tam Londini, quam Oxoniae et Cantabrigiae exegit inter perpetuas cum viris eruditis occupationes et medico practicas exercitationes, quarum copiam fecerunt multi ex nobili Britannorum gente sodales et in Belgio Viri cum exoptato euentu praxin exercentes, qui hospitem perhumaniter et admodum beneuole

neuole exceperunt. Inter quos nominandi primo loco ſunt Viri Experientiſſimi CROMWELL, MORTIMER, WALLIS, COOK, HODY, DVVAL aliique. Ad finem vergente aeſtate anni 1726. relicto Londino Hardeuicum properauit et inde in patriam rediit.

Holmiam redux cum ſedem fixam vix conuenire aetati ſuae ſentiret, multaque adhuc ſupereſſe, quorum cognitionem deſideraret, meditabatur iterum de occaſione peregrinandi. Quae Ei oblata eſt tanto laetius, quanto ſeuerius exſpectauerat et quaeſiuerat, cum Generoſiſſimus Baro IOANNES BANER educationi vnius filii IOANNIS MAVRITII BANER illum praeficeret, vt eius conſiliis vteretur in itinere, quod et ſimul menſe Octobris anni 1727. ſuſceperunt, per Sueciam et Pomeraniam Berolinum petentes. Relicto Berolino, ad Academiam Halenſem ſeſe contulerunt ad Stahlianam doctrinam recte cognoſcendam, opera atque ſtudio Virorum Clariſſimorum IVNCKERI et HOFMANNI. Abhinc, ſalutatis interea Francofurto ad Moenum, Manheimio, Argentorato, Baſilea, et Lauſanio, Genevam acceſſit, ibique praeter alios viros doctos vſus eſt Cll. BONETORVM humaniſſima familiaritate.

Nunc per Sabaudiam ſub autumnum anni 1729. deſcenſo monte Ceniſio, Auguſtam Taurinorum primum adiit, inde Mediolanum et Pataviam, vbi Viros Clariſſimos VALISNERIVM et MORGAGNIVM Noſtro licuit per ſex integras hebdomadas quotidie inuiſere. Venetias poſtea frequentabat, vnde Patauiam iterum ſe contulit, qua tandem non lubenter relicta, per Veronam, Breſciam, Bergamum, Ferraram, Piſaurum et Anconam verſus Lauretum iter ſuum direxit, eoque feliciter peracto, Romam petiit menſe Februarii 1730. Roma Neapolim contendit, luſtratisque huius confiniis

monte Veſuuio, Baja, Puteolo aliisque naturae et artis prodigiis, Romam rediit. Cum vero tempus inſtaret, quod per aeſtatem ob malignas aëris Romani et Campaniae exhalationes, peregrinis hanc ſedem minus tutam relinquit, in agro Florentino commodius tutiusque hoſpitium reperit; quorſum tandem delatus eſt, poſtquam interea Sienam, Portum, Liburnum, Luccam, Piſam et plura alia oppida maxima cum voluptate et ſumma cum vtilitate vidit.

Quod reliquum erat aeſtatis, Bononiae et Genevae impendit, vbi locata nauicula: (Felucca Italis dicta:) Tolonem Martium appulit menſe Auguſti 1730. Maſſiliam deinde luſtrauit, Montemque Peſſulanum. Lugdunum poſtea petiit, tandemque Lutetiam Pariſiorum et Caletum, iterum iterumque Angliam viſurus, vt et Hollandiam, quibus omnibus annuo ſpatio feliciter abſolutis, poſtquam Harderouici doctoris gradum in Medicina obtinuerat die 20. Aug. 1731. per Weſtphaliam Caſſelas delatus eſt. Relictis confiniis Caſſelarum, Ductum Luneburgicum peragrauit Hamburgum, integram Daniam, Sueciamque ſaluus et ſoſpes patrios lares iterum ſalutauit menſe Nouembris 1731.

Praeter inſignem voluptatem, quam ſe percepiſſe faſſus eſt ex amoena hac in exteras nationes peregrinatione, etiam tanquam ſingulare Prouidentiae diuinae beneficium celebrauit, quod ſtirpis Bakerianae gloria illuſtris ac peruagata, ipſi aditum facilem ad varias res easque valde curioſas luſtrandas fere vbique et in longe diſſitis a patria oris reliquerat.

Anno 1732. ab Illuſtriſſimo Comite DE LA GARDIE Medicus circa aquas minerales, quae nuper in Viuario Regio prope Metropolim detectae erant, conſtitutus eſt. Die 8. Maji. eiuſdem anni

Regio

Regio diplomate Profeſſor Extraordinarius Philoſophiae experimentalis ad Academiam Lundenſem, et anno 1735. Ordinarius Medicinae nec non memoratae Philoſophiae renuntiabatur. Huic provinciae ad vltimam fere vitae animam praefuit. Sub vltimis quidem binis annis venia ſuperiorum non amplius publice docebat, conſiliis tamen Senatus Academici plerumque interfuit. Statura procera, facies laeta, ingenium acre, animusque alacris illi fuerunt; valetudine vſus eſt recta, praeterquam, quod vltimo inprimis decennio laborauit malo podagrico, a cuius crebro regreſſu, anno praecipue emortuali, ſenſim ita imminuebantur vires, vt vi corporis olim integra, nunc plane deficiente, placide obdormiret die 27. Nou. 1774.

Anno 1737. coniugium iniuit cum filia vnica huius Lycaei quondam Primarii Theol. Profeſſoris et Archipraepoſiti Reu. Doct MART. HEGARDT, *Margareta Liboria Hegardt*, poſt fata mariti ſuperſtite vidua. Duodecim liberos habuit. Rectoratum academiae quater geſſit; pluries in vtraque Facultate tum Medica, cum Philoſophica Decani munus obiit. Saepius in Facultate Medica, vna vice in Philoſophica Promotor fuit. Praeter varia Programmata et XLII. Diſſertationes, ſub Eius praeſidio ventilatas, luci publicae dedit tractatulum, Praelectiones de fertilitate terrae et agriculturae fundamentis continentem, Anno 1752. lingua Suecana typis euulgatum et binas orationes quoque Suecanas, quarum priorem habuit ad Feſtum Coronationis Regiae Anno 1751. alteram ſub iubilaeo Academico anni 1768. quum vltima vice Rectoris munus geſſit, et praeter has orationem parentalem in obitum R. R. Senatoris etc. Comitis CAROLI GYLLENBORG, lingua Latina exaratam.

XXII.

Continuatio indicis phyſico medicorum ſcriptorum, quae anno 1773. prodierunt.

Des cauſes & remédes de l' amour, conſidéré comme maladie Par I. F. Médecin Anglois à Paris 12. (*Eſt hic liber ſupplementum alius libri, qui inſcribitur:* de l' homme & de la femme, conſidéré phyſiquement dans l' état du mariage.)

Hiſtoria mannae inter Ebraeos Sectio II. pro loco in Illuſtri philoſophorum ordine capiendo a IO. ERNEST. FABER. Reſp. *Frid. Aug. Clem. Wrther.* len. 4.

Traité des maladies vénériennes par Mr. FABRE III. edition à laquelle on a ajouté une table analytique des matières, à Paris 12.

The Seemanns medical inſtructor in a courſe of lectures on accidents and diſeaſes incident to ſeamen in the various climates on the world, calculated for ſhips that carry no ſurgeon. The whole delivred in a plain langauge, and founded on a long and ſucceſſfull experience. By R. D. FALK M. D. Lond. 8.

Eiuſd. a treatiſe on the diſorders of the lungs ib. 8.

WILLH. FALCONER *Anmerkungen über Herrn* CADOGAN *Schrift von der Gicht und den übrigen chroniſchen Krankheiten. Nach der zwoten Engliſchen Ausgabe überſezt. Berlin. 8.* (Cl. SELLE hanc verſionem curauit.)

IO. GODOFR. FALKENBERG diſſ. inaug. de orgaſmo humorum ab exercitio veneris determinato, tanquam variorum malorum in corpore humano cauſſa Hal. 4.

Aphoriſmi de maraſmo ex ſummis medicis collecti Auctore SAM. FARR. Briſtol. 8. (Varias, quae ad

ad tabem, phthiſin, hecticam, marasmum ſpectant obſeruationes et annotationes ex ſcriptoribus medicis collegit, titulos tamen librorum non addit, et ſpecies morborum, qui tabem inducunt, non ſatis diſtinguit. Recuſus eſt hic libellus anno 1774. Altenburgi editioque britannica quibuſdam in locis emendata et a multis erroribus typographicis liberata fuit. Medicus, qui nouae huius editionis curam in ſe ſuſcepit et quem Cl. KOENIGSDOERFER eſſe ſuſpicamur, varia quoque ex ſcriptoribus a Cl. FARR omiſſis excerpta addidit.)

Des Abtes VON FELBIGER *Anleitungen jede Art der Witterung genau zu beobachten in Charten zu verzeichnen und daraus beſonders für die Landwirthſchaft nützliche Folgen zu ziehen. Sagan 4. m. K.*

FERBERS *Briefe aus Wälſchland* v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 244.

PHILIP. FERMINS *höchſtnöthiger Unterricht für das Landvolck von der thieriſchen Haushaltung, als eine Fortſetzung von des Herrn* TISSOTS *Unterricht für das Landvolk. Zwey Theile vom geſunden Zuſtande des Menſchen. Aus den Franzöſiſchen überſetzt und mit Anmerkungen begleitet von D.* M. F. A. *Leipzig* 8.

A new inquiry intoo the cauſes, ſymptomes and cure of putrid and inflammatory fevers, with an appendix of hectic fever and of the ulcerated and malignant ſore throat. By WILLIAM FORDYCE M. D. Lond. 8. *vid. comm. noſtr. Vol. hoc pag. 596.*

FRID. IAC. FVKER diſſ. generalia medicinae continens. Tyrnauiae 4.

CHRISTOPHILI BENEDICTI FVNCCII de aſcenſu fluidorum in tubis capillaribus comment. I. et II. Lips. 4. c. f.

Avis à mes Concitoyens, ou eſſai ſur la fiévre miliaire, avec quelques obſervations par Mr. GASTELLIER, Médecin de Montargis à Paris 8.

GEORG. MATTHAEI GATTENHOF diſſ. ſiſtens inflammationis rationem Reſp. *Aegidio Odendal*, Heidelberg. 4.

Cours complet d' anatomie en quinze planches peintes & gravées en couleurs naturelles par Mr. GAUTIER DAGOTY ſecond fils & expliquées par Mr. IADELOT. à Nancy. fol.

Diſſertation ſur l' uſage des cauſtiques pour la gueriſon radicale & abſolue des hernies, ou deſcentes, de façon à n' avoir plus beſoin de bandage pour le reſte de la vie par Mr. GAUTIER à Paris 12.

COURT DE GEBELIN monde primitif analyſé & comparé avec le monde moderne, conſideré dans l' hiſtoire naturelle de la parole, ou grammaire univerſelle & comparative ib. 4.

IO. CAROL. GEHLER progr. inuit. de prima fœtus reſpiratione Lipſ. 4.

